ECCLESIÆ

LVCENSIS CONSTITVTIONES

PLVRIBVS FREQVENTIBVS
Synodis latę, & ad compendium relatæ.

IVSSV ALEXANDRI
Vidicionij Episcopi denuo edita.



L V C AE,
Apud Vincentium Busdraghium.
Ad instantiam Octauiani Guidobonij.

ALEXANDER VIDICIONIVS EPISCOPVS LVCENSIS VNIVERSO CLERO,

Et populo suæ Diœcesis salutem in Domino sempiternam.

CVM multa post primam, quæ superioribus annis à Nobis coacta est, ac post alias etiam, quæ sunt deinceps insecutæ, synodos, fuerint rogatæ, ac latæ constitutiones, prout & temporum ratio postulare videbatur, & Spiritus Sanctus tum ob rerum diuinarum cultum, tum ob rectum animarum, quæ Nobis commissæ sunt regimen, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem, tum verò ob morum correctionem, ac conformationem vtilißimum fore cõmostrauit, quæ quidem omnes si, quibus fuerant conscriptæ verbis, totidem editæ fuissent,

longiores fortasse, quàm necesse erat, nemini non visæ fuissent; vniuersas antiquioribus insertas in meliorem formã redigendas, & ad compendium, quoad eius fieri potuit, referendas mandauimus: vt vnusquisque earum lectione minus defatigatus, & facilius huc animum aduertat, & mentem, ac cogitationem in materia, qua de agitur, attentius figat, &, quæ mandantur, ac iubentur, omnino exhauriat, atque perficiat: in primis verò vt Parocchi populo suæ fidei, prudentiæ, ac diligentiæ credito seruanda, piè, ac religiosè curent: quemadmodum Nos vt seruare velint, omnes in Domino cohortamur, & ad illius decus, & gloriam, ac totius cleri, & populi Nobis ab ipso commissi salutem per viscera Domini Nostri Iesu Christi oramus, atque obtestamur.

CAMILLI DE SCRIBANIS IANVENSIS I. V. D.

Prothonotarij Apostolici Vicarij generalis Luc. in synodicas constitutiones carmen.

QVID sacro expediat decorandis ordine, quodue
Postquam promoti munus obire queant,
His quoque qui deceant mores, aut ducere qualem
Fas vitam, & specimen quod dare cuiq; sui
Quo ritu facienda sacra, & quibus illa neganda
Fundendaeq; preces nocte, dieq; Deo.
Iniunctis rite pœnis peccasse fatentes
A culpis cuinam soluere posse detur.
Antiquas patrum maculas abstergere lympha
Aegrorumq; artus vngere cui liceat.
Coniugium quidnam impediat celebrarier, & quo
Funere condantur corpora sub tumulo.
Militiae, tribuenda quibus stipendia sacrae,
Et pia quo stabili iura tuenda modo.
Elogium parochus moribundi schemate sub quo
Postremum scriba deficiente notet.
Qualis, quae statuit virgo intra septa dicare
Relligiosa Deo sponte pudicitiam.
Quas pœnas subeant pro admisso crimine sontes
Patrandi venia, ne detur ansa scelus.
Legibus his aequa cribratis lance cauetur
Vt pateat licitum, quid vetitumq; simul.

CVRTII GALIBERTI MINIATENSIS I.V.D.

In commendationem synodicarum Constituti. Ad Lucanæ Diœcesis sacerdotem.

HEXASTICHON.

Non hîc arma leges, nec inania dicta sophorum,
Nec valida Heroum prælia victa manu;

Sunt ea codicibus passim diffusa profanis
Vix oculis sacro prospicienda viro

His meliora, tibi æternam parientia vitam
Hîc mira cunctos edocet arte liber.

Aurea Pontificum sunt hîc decreta sacrorum,
Hîc stata pœna malis, gloria summa bonis.

Hîc omnes discunt quid sit tibi fasque nefasque,
Hîc quî seruentur dogmata sancta patrum.

Hæc tu, si sapias, rite seruanda sacerdos
Perlege, disce, doce, pectore conde, tene.

LAVS DEO.

INDEX OMNIVM TITVLORVM.

DE SACRIS ORDINIBVS.

TITVLVS PRIMVS.

De ætate, & q̃ualitate eorum, qũi ad ſacros ordines ſũnt promouendi, & qui ab illis repellendi ſint.

CONSTITVTIO PRIMA.

QVONIAM prima tonſura aperiuntur quaſi fores ad ordinem ſacerdotalem, ſic, vt abſque illa nemo legitimè ingredi, neque aſcendere ad eiuſmodi faſtigium poſſit; eam obrem nos harum Synodicarum conſtitutionum initium ab ea duximus eſſe ſumendũ. Nam ſi bonæ indolis pueris, & ex ſacri Tridentini Concilij præſcripto prima tonſura, minoreſque ordines fuerint tributi; optima ſpes haberi poterit fore, vt ad maiores deinceps illi valeant peruenire. Quod cum ita fuerit; non dubium erit, quin Sacerdotes habituri ſimus ſatis aptos non ſolum ad omnia Sacramenta ritè, ac rectè adminiſtranda (quæ quidem Romani etiam Catechiſmi teſtimonio ab ordinis Sacramento vſq; adeò pendent, vt ſine illo partìm confici, & adminiſtrari nullo modo queant, partìm ſolemni cærimonia, & religioſo quodam ritu, ac cultu videantur carere) ſed ad populos etiam, quod ſummoperè optandum eſt, inſtituendos, ac docendos.

Ad primam, igitur, tonſuram non admittetur ſeptennio minor, ex nuptijs procreatus iniuſtis (niſi ſit legibus ſolutus) ſeù (ſi quis id malit) diſpenſatus, Chriſmate non confirmatus, qui

fidei rudimenta non calleat, legendi, ac scribendi nescius; ille, de quo probabilis coniectura fieri non possit, eum non huius vitæ institutere rationem, vt prophani iudicij laqueos, quibus irretitus teneatur, declinet, aut auaritiæ, vel humanorum caussa commodorũ; sed verisimile sit, eius ipsius vitæ genus fuisse ingressum, vt Deo facilius inseruiat. Multò verò minus admittetur, qui aliquo eorum, quæ paullò post commemorabuntur, vel criminum, vel vitiorum ita fuerit impeditus, vt eius rei debeat haberi ratio.

Ad minores verò ordines ante duodecimum ætatis annum nemo prouehetur, neque, si primæ tonsuræ, vel eius, quo proximè fuerit initiatus, ordinis fidem non protulerit, ac sui vel Parochi, vel Præceptoris testimonium de vita, & moribus non exhibuerit, aut temporum interualla, quæ à Concilio Tridentino præscribuntur, non seruauerit, nisi si fortè nobis aliter expedire visum fuerit. Idem intelligendum est, si Christianæ doctrinæ imperitus ignarusque fuerit: idem etiam, si priùs periculum factum non erit, an latinè sciat.

Ad altiores verò nequaquam ascendet, nisi in ea, cui fuerit ascriptus, Ecclesia in ipsis ordinibus se se exercuerit, seque illis dignum præstiterit, doctrina, morum exemplo bonorum, reuerentia in sacerdotes, ac maiores, & frequenti perceptione Sacramentorum.

Ad subdiaconatus autèm ordinem nemini item aditus patebit, nisi qui minorum fidem ordinum exhibuerit, suique Parochi testimonio, vel alia legitima ratione docuerit, se vigesimum secundum ætatis annum attigisse, ex iustis nuptijs procreatum aut legibus solutum, seu dispensatum, habitum, qui clericorum est, continenter gestasse, Ecclesiæ, cui fuerit ascriptus, in minoribus ordinibus inseruiuisse, optimis moribus esse ornatum, litteris, & id genus alijs animi bonis esse instructum, sacrarum precum, seu diuini officij ordinationem callere, communionem persæpè in anno accipere consueuisse, Christianam doctrinam vel tradere, vel tradentibus adesse, sacerdotium, seu beneficium Ecclesiasticum, vel pensionem possidere, aut saltem patrimonium habere ad vitam honestè sustentandam: quod tamen ex agri iugeribus constare volumus, non ædificijs: eiusque assignationem ratam ex monumentis,

ac tabulis publici scribæ chirographo confectis, quas Parochi etiam fide, ac testimonio muniendas mandamus: ex quo pateat, ea ipsa iugera nemini esse mancipata, aut addicta, nec materna quidem doti obnoxia, vel eiusmodi, vt partem legitimam fratrum absorbeat reliquorum.

Iis autem vitijs, de quibus paullò antè commemoratum est, quibus ad ordines aditum obstructum iri, diximus, hi impediti esse intelligendi sunt, nimirum.

Qui impias opiniones animo tuetur, id est hæreticus,

Ea de re suspectus,

Excomunicatus,

Qui eam maculam suscepit, quam sacrarum rerum scriptores appellant irregularitatem,

Ab ordinum functione abstinere iussus, seu ab ordinibus suspensus,

Facto, vel iure interdictus,

Simoniaca labe infectus,

Apostata,

Furtiuè, aut clàm, vel per saltum, aut ab alio Episcopo absq; nostra licentia promotus.

Alienus,

Imperitus,

Non examinatus,

Non admissus,

Sacerdotis filius,

Ex coitu flagitioso natus,

Polygamus,

Qui meretricem in vxorem duxerit,

Qui sponsalia verbis, quæ præsentis temporis significationē habeant, contraxerit, etiam si carnis copula nulla intercesserit.

Androgynus, qui hermaphroditus dicitur, id est vtrumq; sexū habens, quorum alter pariter, æqualiterque respondeat alteri.

Insigni aliquo corporis vitio deformis,

Sinistro oculo carens, aut alterutrius vitio obnoxius,

Comitiali, seu Herculeo morbo laborans,

Abstemius, hoc est qui vino abstinet,

Diabolicam affectionem passus,
Mente captus,
Ex luna intermissionem habens.
A scienti, ac prudenti sacro fonte iterum ablutus, seu rebaptizatus.
Neophitus,
Qui publicam pœnitentiam obierit,
Infamis,
Seruus, absque Domini permissu,
Fænerator, ad rationes referendas, ac reddendas obligatus, vel alio modo prophanis negotijs implicitus.
Qui prophani iudicij declinandi fraudem concipit.
Litigiosus.
Qui criminis reum, lata sententia, capite, vel membri mutilatione damnauit.
Causidicus / *Aduocatus* } *Qui reum in capitis, vel membri diminutionis periculum adductum oppugnauerint.*
Qui in bello stipendia meruerit, etiam si grauia non cōmiserit,
Homicida,
Percussor,
Rixosus,
Blasphemus,
Spectacula edens,
Iaculator,
Mimus,
Qui in scena luserit: & denique quicunque aut his, aut his similibus, quæ iure vetantur, fuerit irretitus: Quibus omnibus cum ad subdiaconatum, tum ad alios altiores ordinis gradus aditus obstruentur, nisi vel legibus soluti, vel scelerum, quibus astringebantur, vinculis, ecclesiastico more fuerint leuati.

Qui verò horum aliquod vitiorum, quæ ab ijs potissimum longè abesse debent, qui ad subdiaconatum prouehendi sunt, malitiose occultauerit; in Carcerem ad pœnitentiam peragendam contrudetur, & ordinum functione tandiu abstinebit, dum absolutione, ac liberatione nobis visus fuerit non indignus.

In Diaconorum classem nemo referetur ante vigesimum tertiũ

suę

suæ ætatis annum, neque qui omnia suprascripta scire se nonprobauerit, quæ ipsi diaconatus ordini pro ratione, & modo necessaria sunt, atque in subdiaconatu annum in Ecclesia, cui fuerit ascriptus, minimè se exercuerit, ac de his omnibus, vita, moribus, scientia, exercitationeque in Christiana docenda doctrina, Parochi testimonium non habuerit, singulisque Dominicis, ac solemnibus diebus, cum altari ministrauerit, non perceperit communionem.

Præsbiteratus ordinem nemo adipiscetur, qui xxv. suæ ætatis annum non attigerit, & de suprascriptis ad sacerdotalem ordinem pro ratione, ac modo spectantibus sui Parochi testimonio viros, qui interrogationibus, seu examini præsunt, non docuerit.

Atque hic declaramus, simul, ac quis ad aliquem etiam ex minoribus ordinibus fuerit promotus; eum statim, & (vt Pragmaticorum habet formula) ex nunc prout ex tunc, Ecclesiæ suæ Parœciæ, in qua commoratur, vel beneficium habet, ministerio destinari, & addici, eiq; debere inseruire, nisi si alienæ nostra cum venia maluerit operam dare.

De ordinandis sistendis, temporibus ordinationum, litteris dimissoriis, & Parochorum commendatitiis, seu testimonialibus, quibus ipsorum testimonium continetur.

CONSTITVTIO SECVNDA.

VT omnia, quò ad ordinum collationem attinet, ritè, rectèque procedant; promouendi ad minores ordines tres ante dies ad maiores verò ante mensem, quàm ordinationes habeantur, ad nos veniunto, quò eorum Parochis, & præpositis mandare possimus, vt publicè inter sacra missarum solemnia ipsorum nominibus propositis, quicquid à probis Parœciæ viris de eorumdem natalibus, ætate, vita, moribus, ac patrimonio intellexerint, fideliter ad nos tunc deferant, cum vnum aliquem quolibet ordine initiandum sistent: id autem ipsi præsentes, faciunto, nisi si iusta fuerint caussa impediti. Quod si nequeant accedere; litteris

com-

commendaticijs, atque horum omnium fidem facientibus ordinandos prosequuntor. Si secus faxint; nemo omnino ad examen admittitor. At si neque ipsi Parochi venire, neque ex formula, quæ infra habetur, ordinandis testimonium dare voluerint, neque ipso ordinationis tempore coràm examinatoribus legitimam di-xerint impedimenti caussam, vel indignos stiterint, neque testimonium secundum fidem & religionem accuratè dixerint, sed in ordinandi gratiam mendacijs illud asperserint; grauiter de mendacio puniuntor.

Mandamus præterea, vt dum sacræ ordinationes peraguntur, Parochi populos hortentur ad piè religiosèque Deo preces faciundas, quò tales euadant ordinandi, quales Ecclesiæ ministros, ac Pastores animarum decet.

Stati autem ordinationum dies Sabbatha sunt quatuor anni temporum, quibus solemnia ieiunia ex vetustissimo Ecclesiæ more indicuntur: præterea Sabbathum quod Dominicum diem Passionis, vt Ecclesia vocat, antecedit, ac Sabbathum Sanctū, vt eadem appellare consueuit. Nemo autem omnium admittetur, neque cum nos, vel per absentiam, vel aliam ob caussam ordinatione supersedere cogemur, dimissoriæ cuipiam litteræ conficientur, vt ab alio Episcopo Apostolicæ Sedis communionem habenti valeāt ordinari, nisi quem Parochus, vt paullò ante dictum est, stiterit, atque in examine, (quod summo iure exercendum mandamus) idoneum examinatores repererint, & approbauerint. Eiusmodi autem litteræ sex elapsis mensibus nullæ sunto, Parochorum verò, ac Præceptorum commendaticijs seu (siquis id malit) testimonialibus nulla post mensem fides adhibebitur. Qui verò ab alio Episcopo absque nostris dimissorijs ad ordinem aliquem fuerit promotus; eius ipsius ordinis functione tandiu abstinebit, donec eiusdem exercendi licentiam à Sancta Sede Apostolica obtinuerit; neque ad alios non solutus, seu absque dispensatione admittetur.

In Ciuitate commorantibus tempus ad examen accedendi hebdomada esto, quæ proximè eam antecedit, qua ordinationis Sabbathum includetur. Extra vero Ciuitatem domicilium habentibus ea esto, qua ordinatio peragetur.

Nostræ autem Curiæ scribæ, nisi apud nos grauitèr offendere ma-

malint, in singulas vniuiusque ordinis litteras, siue testimoniales sint, siuè dimissoriæ, quinque tantum H-S. hoc est sexdecim nostræ monetæ, quos solidos vocamus, pro præmio exiguntonec, si quid amplius fuerit oblatum, vllo pacto accipiunto.

Si verò plurium ordinum vel collatorum, vel conferendorum, fides vnis litteris sit facienda; sex tantum H-S. hoc est viginti solidos accipiunto, præterea nihil.

Testimonij formula, quam sequentur Parochi, cum ipsi præsentes ordinandum sistere non poterunt.

EGo N. Prior, Plebanus, Rector, seu Curator Sancti N. fidem facio, ac verbo veritatis attestor vobis R. R. Examinatores, N. esse ex legitimo matrimonio natum, annum agere vt apparet ex nostræ Ecclesiæ codice, in quem sunt relati, qui in ea sunt baptizzati, pagina cuius symbolum est vel vt cognoui ex eius patris libro pagina aut de agnatis, ac vicinis fide dignis audiui: ex quibus ea de re diligenter quæsiui, cum nec Baptismi codex de illa ætate in Ecclesia reperiatur, nec in parentis libris memoria extet: vitam honestè pièque traducere, optimis moribus esse præditum, in studia incumbere, bonæ indolis esse, Ecclesię, cui est ascriptus inseruire, habitum, qui clericorum est, capillosque ad coronæ, orbisque formam tonsos gestare, ordinum, quibus est initiatus functionem exequi, in eisque administrare, sacrarum precum, seu diuini officij recitationem exercere, Christianæ doctrinæ tradendæ interesse, singulis mensibus, solemnibusque diebus peccata sacerdoti confiteri, ac sanctissimam Eucharistiam sumere solere, beneficium Ecclesiasticum, vel pensionem aureorum nummûm vel patrimonium quingentorum, vt ex eius rei peritis cognoui, sinè controuersia, quietè, ac certe possidere, cuius ei assignati extant tabulæ N. N. publici scribæ Chirographo confectę, dotibus, aut fratrum parti legitimæ, vel creditoribus non obnoxium, ipsum N. nullo corporis, vel animi insigni vitio, quod vel communi iure, vel Episcopi constitutionibus vetetur (quod

ego quidem sciam) affectum. Cum autem per incommodam valetudinem, vel per senectutem, vel per meæ Parœciæ occupationes mihi ad vos venire non liceat, ipsi N. testimonium dedi, eundemque meis hisce litteris prosecutus vobis sisto, trado, atque commendo.

Atque hæc quidem formula, nonnullis demptis, vel additis, pro Subdiaconatus, Diaconatus, ac Præsbiteratus diuersa ratione est seruanda, appositis etiam Patris, familiæ, ac Patriæ nominibus. Quod autem ad eos pertinet, qui vel prima Tonsura, vel quatuor minoribus ordinibus erunt initiandi; satis erit, si litteræ ipsæ natalem eorum diem, ætatem, ac bonos complectantur mores, testenturque, eos in Ecclesia se exercere, litteris, ac Christianæ doctrinæ operam dare. Parochi porrò illud inprimis cauento, ne vllo hæc mendacio aspergant, de illisque duntaxat testimonium ferunto, quæ benè sibi cognita, perspectaque fuerint.

De examinatoribus ordinandorum.

CONSTITVTIO TERTIA.

AD examinis munus, quoties opus fuerit, viri prudentes diuinæ legis haud ignari, in Ecclesiasticis sanctionibus, ac functionibus exercitati, atque versati, iuxta sacræ Tridentinæ Synodi decretum leguntor.

Ij cum primis cauento, ne gratiæ caussa, aut munerum illecebris corrupti, amoreuè, odione commoti à verò ita deflectant, vt vel indignum aliquem, vel minus idoneum initiandum Episcopo tradant de manu (vt aiunt) in manum. Sed per duas ipsas hebdomadas, quæ ordinationum diem Sabbathi præcedent, ex infra præscriptis in ipso examine ijs, qui sunt initiandi, diligenter operam nauanto: ne religioni habeatur, quos approbauerint, ordinari.

De

De interrogationibus habendis, seu Scrutinio faciendo ab examinatoribus, cum ordines erunt conferendi.

CONSTITVTIO QVARTA.

DE ijs, quæ prima constitutione cauentur, Examinatores singula singulis ordinibus pro rei ratione necessaria, ac consentanea accomodantes sistentem, seu præsentantem interrogent: isq; ad interrogata ex coscientia respondeto, ex eaque omnia metitor.

Prima tonsura initiandus an alienæ sit Diœcesis, examinatores interrogent.

Dimissorias eius ordinarij, vel magistri, seù superioris, si sit regularis, litteras inspiciant.

Aliàs non admittant.

Quicunque autem ille fuerit; cum in omnibus, ad quos prouehendus erit, ordinibus examen subire volumus, quod summo iure exercendum mandamus.

Christianæ porrò religionis rudimenta, atque elementa calleat nec ne, legendi, scribendique peritus sit, an non, examinatores diligenter videant.

Eundem ad extremum moneant, vt habitum clericalem gestet cum capillo ad coronæ speciem tonso, suæque Parœciæ, si in ea commoratur, Ecclesiæ, vel alienę (si per nos liceat) inseruiat: clericorum alioquin priuilegio non gauisurus. Præterea vt mane eius diei, quo ordinationes peragendę erunt, cum vestibus, quæ sunt Clericorum, & capitali, quod birrettum vocant, se sistat, ac lintea super indutus, capilloque tonso ad coronæ, & orbis, vt diximus, formam, si in Ecclesiasticum ordinem cooptari velit.

Quatuor minoribus initiandus ordinibus posteà quàm de ijs, quę prima habentur constitutione, fuerit interrogatus; ętatis, primæq; tonsuræ testimonium dato, fidemque exhibeto.

Examinatores deindè videant, nùm intelligat elementa Grammatices, ac Latinam linguam, Christianamque calleat doctrinam: cui nam ęcclesiæ, ac quandiù inseruiuerit: & an de eo spes sit, fore, vt ad altiores ordinum gradus ascendere valeat. Id autem

ex ipsius indole, scientia, ac moribus facile poterit diiudicari.

Cuiuscunque præterea ordinis munera, ac functiones ei exponant: moneantque, vt ordines percepturus cum habitu, qui ad clericos spectat, capillo, vt suprà sancitum est, tonso, ac veste lintea superindutus nobis se sistat, litteris operam diligenter nauet, in eaque, cui fuerit ascriptus, Ecclesia in ipsis ordinibus se se exerceat, habitum ipsum continenter gestet, ritus, cęrimonias, officiaque Ecclesiastica ediscat. Mane verò eius diei, quo ordinationes peragendæ erunt, præparato animo præstò sit ad Eucharistiam sanctè, religiosèque accipiendam.

Ad hæc hortentur, vt ordines ipsos iam adeptus, breuiores Beatissimæ Virginis preces, quod officium paruum vocant, si quidem beneficio careat Ecclesiastico, aut quotidie recitet, aut sępissimè.

Subdiaconatus ordine initiandus, posteaquam minorum ordinum, ętatisque fuerit inspecta fides; interrogetur, num se ante mensem stiterit, quo nomine seù titulo possideat, quæ ad eam rem possidere est necesse, an habitum, capillosque clericorum more tonsos continenter gestauerit, num in Ecclesia, cui fuerit ascriptus, in ordinibus, quibus initiatus est, cum laude sit versatus, quoties in anno accesserit ad Eucharistiam, an speret, Deo adiuuante, se continentem, ac temperantem fore.

Eorum porrò omnium, quæ supra sunt commemorata, eius Parochi testimonium inspiciatur, si is præsens initiandum minus stiterit. De ijs prætereà omnibus, quæ ad ipsum requiruntur ordinem, eum examinatores percunctentur.

Ad extremum ex eodem quærant, quæ ipsum caussa impulerit, vt eiusmodi initietur ordine, quem cum fuerit adeptus, sibi integrum non sit, ad laicos, prophanosque redire, nec ad altiorem ascendere, nisi litteris, optimisq; moribus præditus, atq; ornatus.

Regularis etiã ad ipsum ordinem ineptus esto, nisi ætatẽ grauissimo testimonio probauerit, ac nisi iurauerit sanctissimum, verissimumq; iusiurandũ, spontè, non vi religionẽ fuisse professum, & nisi eius rei testimonium sui præfecti exhibeat, eiusdemque licentiam.

Periculum ad hęc faciant, num articulatè, distinctèque legat, num latinè sciat, an verba componere, in ordinem redigere, sententiamque assequi, sensumque elicere sciat.

De

De summis fidei capitibus, distinctè in primis, de diuinis Ecclesiasticisque præceptis, de septem Sacramentis, eorumq; materia, ac forma, de ordinibus, eorumque charactere, & qua ratione, cum Subdiaconatus tribuitur ordo, imprimatur in anima, quærãt.

Iis insuper, quæ ad ipsius spectant ordinis exercendum munus, sit institutus nec ne; suo ne Marte, suopteque ingenio sacras preces, siuè diuinum officium disponere nouerit, (huius.n. rei si ignarus, imprudensq; fuerit haud facilè recipietur, præsertim si Ecclesiastico beneficio sit auctus, cũ eum ipsum ordinẽ adepto, quotidie sint preces ipsæ recitandæ) an speret fore, vt, Deo bene iuuante, continentiam seruet, ac temperantiam tueatur, diligenter videant.

Moneant præterea, vt Dominicis, solemnibusque diebus Sanctissima Eucharistia frequenter vtatur, præsertim verò cum Sacris vestibus indutus sacerdoti ad arã dat operã, atq; ministrat; vt in sacrarum litterarum studia incumbat, optimos mores comparet, continentiam adhibeat, atque conseruet, sacrarum Deo precum quotidie ricitandarum officium præstet, habitum, capillosque de more tonsos gestet, vni alicui Ecclesiæ, si beneficij sit expers, inseruiat, & denique vt præparato animo præstò sit ad communionem percipiendam.

Ecclesticum porrò beneficium, pensionemuè, aut patrimonium cuius nomine, ac titulo promouendus erit, fieri nullo modo posse, vt vbi fuerit promotus, eo se se abdicet, seù illud resignet, pensionem extinguat, patrimonium remittat, vendat, donet, aut quauis alio modo alienet, initiandum sic moneant, vt quicquid cum altero in eam rem aut egerit, & contraxerit, aut aget, & contrahet, id omne irritum, atque adeò nullum neque esse, neque fore sciat.

Secus si faxit, præsertìm consultò, ac studiosè, neque eiusmodi à nobis permissa licentia, quinquennali diuinorum exercendorum inhibitione, seu à diuinis suspensione, & carcere, dum omnia in statum pristinum sint restituta, se nouerit mulctatum iri.

Si verò nomen, seu titulus, quo ordinari petierit fucatus, ad adombratusuè fuerit, præter quã tenebitur, falsi pœnam, ordinum præfèrea perpetua suspensione punietur, atque ad alios adipiscendos inhabilis, ineptusque erit.

Diaconatus ordine initiandus, testes Subdiaconatus litteras

exhibeto, in eoque se annum exercuisse, Dominicisque potissimum, ac solemnibus diebus, dum ad aram ministrauerit sacris vestibus indutus, Eucharistiam accipere in frequenti sibi vsu fuisse probato.

Eum examinatores percunctentur, de sacrarum recitandarum precum dispositione, de ipsius ordinis muneribus, de eiusdem charactere, ac quonam modo imprimatur in anima, dum idem ipse tribuitur ordo, de Sacramentorum materia forma, vsu atque effectu: num quid de sacra degustauerit scriptura, aut eam habeat in promptu, quibus interpretibus, ac doctoribus ad eam rem vtatur, eius enim officij partes sunt sacerdoti impedito Vicarium saltem in concionandi munere succedere.

Ad extremum moneant, vt Ecclesiæ, quę sibi fuerit assignata, officium suum continenter pręstet, operamque nauet, in ordine sibi tributo altari ministret, peccata sępe sacerdoti confiteatur, communionem frequentet, in sacrarum litterarum studia incumbat, Ecclesiæ cæremonias teneat, eiusque calculos, indictione sue discat, ex quibus singulorum annorum ratio initur, & ad studium quoque Musicum ita se se applicet, vt cantu pro ratione, ac modo sciat.

Qui in Prębiterorum ordinem cooptandus erit; ab eo examinatores quærant, num in Diaconatus ordine annum saltem se se exercuerit. Litteras eius ipsius ordinis testes inspiciant. An vigesimum quintum ætatis suæ annum attingat, num in veteris, nouique testamenti, sanctorum Patruum doctrina, atque explicatione sit versatus, num ad ea populo tradenda sit aptus, quæ sunt ad salutem maximè necessaria, vrdeant. De ordinis pręterea sacramento, sacerdotali officio, ac munere, de Missa, eiusque sigillatim partibus, effectu, deque indumentorum significatione, de mysterijs, functionibus, ritibus, cantu musico (sine quo haud sanè facilè quisquã in Præsbiterorum gregem recipietur) de Pœnitentiæ Sacramento, eiusdemque partibus, de peccatorum ratione, ac differentia, de Ecclesiasticis censuris, ceterisque omnibus, quæ ad sacerdotale spectant munus, studiosè quęrant.

Attentè insuper considerent, nũ ab eo expectari possint pręclara honestarum actionum testimonia. Eidem mandent, vt pręter Bibliorum monumenta, & aliquem in ea Catholicum interpretem,

ac nonnullos ex ijs, quibo milias conscripserunt, eos sibi preterea libros emat, qui inscribuntur, Summæ, vt Antonianam, Syluestrinam, & id genus alias: nec non eos, quorum inscriptio est Rationale diuinorum officiorum, Sacerdotale, Methodus Confessionis, Catechismus Romanus. His addat classium regulas, cum indice librorum prohibitorum, ac nostras hasce Constitutiones.

Ad Extremum moneant, vt in Pœnitentiæ Sacramentum precipuè preter cetera omni cura, vigilantiaque incumbat, quò penitentes audiendi munere perfungi possit.

DE

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

TITVLVS SECVNDVS.

Quales Clerici esse debeant.

CONSTITVTIO QVINTA.

VT Clericorum vitam, honestatem, officiumque rectè, ac probè internoscamus, à ratione vocabuli possumus auspicari. Nam Clericorum nomen ab eo deductum est, quòd ij Dominum sortem, & hereditatem suam habere incipiant. Eam ob rem dum tondentur, confidenter dicunt, Dominus pars hæreditatis meę. Quapropter cum inter fideles tanta præluceant dignitate; hortamur eos, ac per viscera Domini Nostri Iesu Christi obtestamur, dent obnixè operam, vt Ecclesiæ Senatus verè dici possint; ac, quod nomine profitentur, re exprimant: neque eiusmodi professione indignos se præstent: sed cogitent, se Christi ministros, populorumque esse pastores, ac ductores: cumque sint omnium oculi in eos conuersi, quicquid agunt, studeant rectè, prudenterque agere, vt sua ipsorum opera luceant coràm omnibus hominibus, sicut lucerna posita in Candelâbro: sint in ministerio accurati, plantantes, & euellentes, summoque studio ædificantes ea, quæ Dei honorem, pietatem, & erga proximũ charitatem spectant. Necessitatem autem bene, honestèque viuendi, non peccandi licentiam sectentur: Sacrarum litterarum studijs

dijs assiduè operam nauent. Sint modesti, atque humiles, patientes, misericordes, hospitales, benefici, casti, sobrij, vigiles, deq; animarum salute solliciti.

Habitu, ac cultu, capilloque ad speciem coronæ tonso, incessu graues, verbo temperatos, exemploque laudabili se prabento.

Deo, Diuisuè ne conuiciantor, seu blasphemi ne sunto, neque superbi, elati, homicidæ, percussores.

Ne quis eorum cum telo esto.

Monomachie, hoc est duello, ac singulari certamini ne intersunto.

Crudelium, immaniumque, etiam si lege in capite damnatos agatur, spectatores se ne præbento.

Simoniacam labem, fœnus, auaritiam, furta, quæstus turpes, illiberales, non concessos, prodigalitatem, sumptusque nimis magnos, atque immoderatos, negotiationes, nundinarumque frequentationes cauento.

Talis, tesßereris, pictis tabellis, & id genus alijs ludis vetitis, vel inhonestis neque inter se, neque cum alijs ludunto, neque ludi spectatores otiosi sunto.

In res contrahendas se non interponunto.

Pro quoquam ne spondeanto.

Principum, aliorumuè negotia, nè curanto, neque eis inseruiunto, operamuè nauanto, nisi si caussa, quæ à sacerdtali officio non abhorreat, id tale postulet, neque tamen sine pace, ac nostra, quæ gratis dabitur, licentia.

Sordidi artificij genus nullum exercento.

Fundos, aliaque bona de laicis ne conducunto, redimentouè.

De Ecclesijs verò, pace quod fiat nostra, bonaque cum venia, tres tantum in annos, si volent, conducunto.

Si vel à laicis, vel Ecclesiasticis hominibus mercede, aut alio modo fuerint conducti (id quod quantum fieri poterit, cauento) in eorumque Aedibus cum ipsis viuent, habitabuntuè; dignitatis suæ, maximè verò sacerdotij gradum retinento, & ab illiberali, sordidoque opere, atque officio abstinento.

Luxuriam, carnisque illecebras, lenonum, infamium, deque impudicitia suspectarum personarum consuetudinem vitanto.

Choreis, tripudijs, ioculatorum saltationibus, tragœdijs, comœ-

dijs,

dijs, hasti ludijs, gladiatorisuè muneribus, atque alijs eius generis prophanis spectaculis neque intersunto, neque otiosi horum spectatores sunto; Multo minus ipsi agunto, ducunto, plaudentouè.

Loca etiam, vbi obscæni corporis motus, aliaque turpia exercentur, vitanto.

Scurriles, dicacitates, dicteria, petulantiam fugiunto.

Lasciuia, mollia, ioculatoria, & quæ risum concitant, ne loquuntor.

Citharedos, mimosue ne agunto.

Personati ne incedunto, neque de vestibus ad eam rem laicos accomodanto.

Obtrectatio, maledicentia, omnisque verborum intemperantia, procul sunto.

Ebrietatibus, ac commessationibus ne indulgento.

Nuptialia propinquorum, cum aguntur, conuiuia, si vitare non possint, ita se tamen modestè gerunto, vt conuiuis exemplo sint ad imitandum.

Extraneorum verò, quæ vè dignitatem non habent, omninò cauento.

Inter scyphos cantus, strepitus, plausus, inhonestosue, & inconcinnos risus ne immiscento.

Poculis neminem poscunto, inuitantouè.

Inuitati ne respondento.

Cauponam, nisi si cogat necessitas, ne ingrediuntor.

Rixas, iurgia, lites fugianto.

Iudices, adsessores, aduocati, causidici, tabelliones, testes in caussis capitalibus, seu criminalibus, maximè verò vbi in morte multandos sententia est ferenda, ne sunto.

Aduocati, causidici vè officio apud prophanum forum præterquam in caussis, quæ iura permittunt, atque id nisi nostra cum venia, ne funguntor.

Nullius tutelam, curationemuè, nisi misericordiæ caussa, idque nostra etiam cum venia, suscipiunto.

Artem neque medicam, neque chirurgicam exercento.

Otium, nugas deambulationes, præsertim per vicos, ac plateas, quò populus frequens conuenit, vitanto.

Om-

Omnibus denique lethalibus peccatis, delictis, criminibus erroribusuè, qui offensioni esse possunt, abstinento.

Monemus præterea, vt quoties Ecclesiam fuerint ingressi, lustrali, seu sacra primum aqua se aspergant, deinde ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum genibus nixi orent. Quoties verò contigerit, vt vel illud, vel aram maximam prætereant, aperto capite vel genui flectant, vel caput, humiliter pro ratione, & modo demittant. Mensæ appositæ discubituri sacra verba præferantur; ea sublata, Deo gratias agant; semèl in hebdomada ieiunium seruent, potissimum verò anniuersario die, qui præcedet festum eius Diui diem, in cuius tutela ipsorum Ecclesia est. Atque hæc omnia eò spectabant, vt laici exemplum habeant ad imitandum: quos instruere facilè poterunt ad benè, & honestè viuendum, si operam in primis dabunt, ne sibi illud meritò obijci possit, Medice cura te ipsum.

Iis, qui nec animarum procurationi præsunt, neque Ecclesiã habent, siue in maioribus, siue minoribus ordinibus sint constituti, mandamus, vt Ecclesiæ, cui fuerint ascripti, inseruiant, atque ministrent.

Omnibus autem, qui animarum procurationi sunt prępositi pręcipimus, vt semel saltem in anno, nisi si iusta subsit impedimenti caussa, se nobis, vel nostro summo Vicario sistant, docturi de sua ipsorum vita, studio, ac munere, de statu Ecclesiarum, deque moribus populorum. Si verò contigerit, vt in ijs, quæ supra cauta sunt, vel id genus alijs, Clerici Ecclesiasticæque personæ (quæ illæ cunque fuerint) deliquerint; sancimus, vt præter eas, quæ sacris sanctionibus sunt constitutæ, alijs præterea pœnis nostro arbitratu pro personæ ratione, ac forte multentur.

De Clericorum habitu, deque Capillo barbaque tondenda.

CONSTITVTIO SEXTA.

CVM non modo sordes, sed nimis etiam exquisita Clericorũ munditia in vestitu, atque cultu persæpè offensionem habeat, & obloquendi præbeat laicis occasionem, cumque

nonnulli sint, qui, quamvis res Ecclesiasticas possideant beneficia, vel sacris sint ordinibus initiati; habitum tamen, & capillos Clericorum more tonsos gestare erubescunt; cum contra oporteat, cultum, ac vestitum ordini esse consentaneum, vt per habitum, atq; ornatum, qui extrinsecus assumitur, decentiam, morum honestatem, integritatemque in animo inhærere ostendant; sancimus, vt clerici tàm minoribus, quàm maioribus ordinibus imbuti, etiam si nulla, ne simplicia quidem Ecclesiastica beneficia sint adepti, capillos tonsos gestent ad coronæ speciem, & similitudinem, quod est spiritualis militiæ symbolum: & quòquisque in altiori deincèps ordinis gradu est collocatus; eo latior orbis forma circumscribatur, atque ita abradatur, vt facilè sub aspectum cadat: deinde, vt barbam itidem, vel vndique demat, vel æqualiter incidat. Sacerdotes verò cumprimis à superiori labro præcidant, non laicorum quorundam more rigentes quasi setas ad malas retortas nutriant, neque cincinnos, calamistratasq; comas fœminarum more gestent: prætereà clericale capitium, quod birretum vocant, vestesque eorum ordini consentaneas assidue gestent. Quarum exteriores ad talos vsque, interiores verò infra genua, minimũ sint demissę, vtraque autem purę, ac simplices, non artificiosè elaboratę: nec sordidę, aut scissę, vt adducant in contemptionem. Pallium (vulgò vocant ferraiolo) talare esto, more maiorum, idque cum collare non declinato, nec duos digitos amplius lato, nec sine talari etiam tunica gestanto.

Calcei, ac caligę incisę, ornatęuè, eoque modo, quo sacris constitutionibus cauetur, coloratę ne sunto: atque eę ab ea, qua femora teguntur, parte, nec turgidę, nec tumentes.

Subucularum collare planum simplex, duos, summum, digitos deorsum deflexum, sine amydo, manicæ verò sine rugis sunto.

Annulos porrò in digito gestare illis tantum, qui dignitate aliqua sunt prædití, fas esto, prętereà nemini: atque hi vnum duntaxat gestanto, ac, dum sacra peragunt, ne gestanto.

Pileorum item oblongorum, quiuè fascijs à laicis circundari consueuerunt, vsum nostris interdicimus: prętertìm verò si sine capitio, quod Clericorum est, incedant.

Qui autem nec habitum, nec Capillos eo, quo dictum est, modo

gesta-

gestabunt, nec vni alicui Ecclesiæ inseruient, eos fori priuilegio carere volumus, si minoribus scilicet ordinibus fuerint imbuti, Ecclesiasticique beneficij expertes, nec in seminario, aut in aliquo Gymnasio nostra cum venia litterarum studijs operam nauabunt. Ecclesiastici verò beneficij participes, ac maioribus prǽditos ordinibus, quotiescumque sine habitu fuerint deprehensi, duodecim nummis aureis multari, ac tertiam mulctæ partem viatoribus, seu apparitoribus, si eos comprehenderint, addicimus, modò non sint in itinere. Qui si, posteaquam ter moniti, comprehensique fuerint, eodem tamen fuerint relapsi; tum muneris, tum beneficij ad triennium priuatione punientur, beneficij ipsius vestigalibus pios in vsus erogandis. Sacris verò ordinibus imbuti beneficij tamen expertes, vel triennali carceris, vel quinquennali exilij coercebuntur pœna. Grauiter itidem in eos animaduertetur, qui in sua ipsorũ Ecclesia habitum minime gestauerint. Qui autem vel nobis, vel nostro Vicario sine habitu ipso, ac capitio, qua vis de caussa se se stiterit; arbitrio nostro punietur. Si verò ordinibus initiandus, vel beneficium adepturus eo modo examinatoribus in conspectum, se dederit; ad examen nequaquam admittetur.

De habitu à Clericis in itinere gestando; & ne è diœcesi sine Episcopi venia ne voti quidem caussa peregrinaturi discedant.

CONSTITVTIO SEPTIMA.

Si Clerici Ecclesiastici beneficij participes extra Diœcesim abire negotij caussa cogantur; ab ea octo tantum dies abesse eis impunè tum demum licebit, si id bona nostra cum venia fecerint: de qua ex scripto constet, & nisi ad onium suarum custodiam aduigilandum, & in Parœcia erit residendum: secus si fecerint haud impunè id se laturos sciant. In itinere autem breuioribus, sed tamen modestis vestibus eos vti posse permittimus: modò ex illis non internosci solum, sed etiam honorari possint. Oblongarum autem, & capitiorum, quæ laicorum sunt, habitusque, ac cultus, quo in alium quasi conuersi videantur, vsum omninò

interdicimus, nisi iusta tamen necessitas cogat. Cum verò, vel ad Diœcesis castra propius accedent; sacrum, quod se decet capitium, longasque vestes induunto. Quoties verò secus faxint, toties triũ aureorum nummûm multa multabuntur. Atq; hæc ad eos etiam pertinere intelligendum est, qui beneficij sunt expertes.

Omnibus porrò sine vlla exceptione prohibemus, ne se sacras peregrinationes obituri in viam dent, nisi eius rei fuerit à nobis sibi permissu licentia; & commendatitiæ, quibus eos prosequamur, datæ litteræ. In eiusmodi enim profectione quid sibi agendum, obseruandumque sit, quò spirituales ex ea re, ac salutares fructus capiant, laicisque exemplo sint, volumus è nobis vt discant.

Ne Clerici cum mulieribus habitent, neque cum suspectis de pudicitia, vel infamibus personis versentur.

CONSTITVTIO OCTAVA.

NOtissimum est, in mulieribus nullum esse à calce ad caput locum, in quo laquei non sint propositi ad hominum oculos, mentesque irretiendas, ac tenendas. Cum autem earum consuetudo sacerdotum saluti res sit lubrica, ac periculosa populo verò offensionis plena; vniuersos, qui sacris sunt ordinibus initiati, clericos, & suademus, & hortamur, ne cum mulieribus sibi aut affinitate, aut sanguine coniunctis, etiam si ipsis sint sorores, habitationem, si fieri potest, habeant communem: inprimisque ne impudicitiæ nomine suspectas, vel infamia notatas, domum recipiant, aut admittant, aut alicubi cum illis conuersentur, penitus prohibemus. Eas autem suspectas esse declaramus, quibus vel Clerici ipsi, vel alijs consueuerint: licet etiam confecta, ac decrepita essent ætate. Quæ omnia ad eas quoque pertinere volumus, quæ vel ob ætatis florem, aut formam, vel lasciuiam, aut illecebras populo suspicionem afferunt, atque offensionem. Qui verò in talium fœminarum lenonum, atque aliorum id genus hominum communi domo, & consuetudine fuerit deprehensus, vel quacunque ratione etiam extra propriam domum eius generis fœminam alat, is diuinorum sex menses munerum functione abstinebit,

bit, & viginti prætereà primum aureorum nummûm multa eidem irrogabitur. Si autem cum illis rem habuerit; vectigalium, ac fructuum, quos ex beneficij fundo alioqui percepturus erat, interceptione coercetur, & carceris deindè, atque exilij pœna afficietur. Quos autem in eiusmodi antiquus humani generis hostis impulerit mentem, vt cum ea, quam vel sacro fonte abluendam, vel chrismate vngendam susceperint, vel quę ex ipsorũ Parœcia sit fornicationem, adulterium, vel incestum, vel stuprum, aut nephandum præposterę libidinis scęlus (quod Deus ópt. max. omen auertat) commiserint; ij pęnis illis coercentur, quæ sunt in tales à sacris constitutionibus propositæ. Quamquam qui simpliciter fuerit meretricatus præter salutarem, quæ ei pœna imponetur, trecentorum præterea sestertiorum, hoc est quinquaginta librarum multa, vbi primum deliquerit, eidem dicetur; si verò iterum eodem fuerit relapsus, grauiori etiam pœna plectetur.

Ne Clerici arma gestent, ludant, venentur.

CONSTITVTIO NONA.

CVm Clericorum arma lachrymæ sint, orationes, ac ieiunia, neque sit eis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates tenebrarum, qui non armis, sed virtutum operibus expugnantur; sancimus, vt omnes sine exceptione Clerici, qui vel intra, vel extra Ciuitatis pomœrium, siue de die, siue de nocte cum telo fuerint, præsertim verò cum tormentis bellicis minoribus, quos archibusos vocant, & hastis, quæ sunt omnino interdicta, illud cuius fuerit cunque generis, confestim amittant, ijsque pœnis puniantur, quæ legibus municipalibus, sunt constitutæ: vna tamen excepta, quæ est in personam, pro qua nihilominus eius culpæ reus arbitratu nostro eam subibit, quã sacræ constitutiones vocant, suspensionem à diuinis. Vni ex omni armorum genere à nobis excipiuntur cultri, qui sunt ad priuatum, ac domesticum vsum accomodati: & tempus, quo Clerici erunt in itinere: qua tamen caussa modicè, aut etiam intra modum id ab eis fieri mandamus. Qui autem in sua ipsorum parœcia cum telo

ipso

ipso fuerint, ijs dupli, si verò in Ecclesia, tripli pœna esto.

Si cum Laicis, vel ipsis præsentibus, aut publico priuatoue loco pictis tabellis, seu folijs lusorijs, aut tesseris, aut taxillis, alionè ludo sacerdotibus vetito, nec vetito luserint, vel eius rei otiosos spectatores se præbuerint, inter se verò vetito luserint, vel suis in Aedibus ludum permiserint, quò omnis aleatorum confluat quasi sentina, apertis scilicet foribus ad nequitiam; cum semel in ea re peccauerint, sex à diuinorum tractatione, ac functione menses abstinebunt, ac quinque præterea aureorum nummûm multa, ac pœna multabuntur: secundò in duplum ibunt. Si verò in peruicacia permanserint, beneficij priuatione, atque exilio coercentur.

Delatoribus porrò, qui eos detulerint, ac satellitibus seu viatoribus, qui in facinore deprehensos comprehenderint, dimidia multæ pars addicetur.

Qui frequenti vel venationi, quæ sacris interdicitur constitutionibus, vel piscationi se se dediderint, ad arbitrium nostrum pœnitentiam obibunt.

Ne Clerici de nocte vagentur, cantibus, ac symphonijs nocturnis, aut antelucanis dent operam, neque Comediarum sint spectatores.

CONSTITVTIO DECIMA.

*S*ancimus præterea, ne vllus Clericus, qui ille cunque fuerit, à secunda noctis hora ad primum vsque diluculum, hoc est vsque ad auroram, nisi iusta subsit caussa, per Ciuitatem, locauè, in quibus commoretur, audeat vagari. Secus qui faxit, ad nostrum arbitrium punietur. Si quis verò vel solus fidibus cecinerit, vel cum alijs choros duxerit, & cantus, aut symphonias nocturnas, seu antelucanas celebrauerit, & cantores vel deduxerit, vel reduxerit, in eaque rè fuerit deprehensus; præterea si quis tripudiauerit, choreas egerit, personatus ambulauerit, Comœdiarum, vel tragœdiarum maximè verò earum, quæ bonis moribus aduersentur, fuerit spectator, eaque de rè illius nomen fuerit delatum; cum id primum faxit, duorum aureorum nummûm*

multa,

multæ, qua multabitur, quindecim Carceris dierum accedet pœna: neque autè ex eo emittetur, quàm multa ipsa persoluta, pœna verò fuerit peracta. Eius autem multæ partem vnam delatori, alteram ipsis satellitibus, tertiam religiosis locis addicimus, ac condonamus. Liberam porrò facultatem in crimine deprehensos comprehendendi eisdem viatoribus concedimus, ac licentiam permittimus.

Ne Clerici negotiatores sint, monopolia exerceant, neque ad ganeas cibi gratia diuertant.

CONSTITVTIO VNDECIMA.

QVoniam nobis vsu est compertum, nonnullos Clericos, atque horum plerosque, qui ruri habitant, non minimum suo ordini iniuriam facere, dum prophanis se se implicant negotijs, nundinas, atque emporia frequentantes, & armentarij, ac subulci officio quandoque fungentes, ac cum quolibet hominum genere, quamlibet rem contrahentes tribunalia omnia rixis, iurgijs, clamoribus profundentes, & mendacijs plerunque etiam aspergentes, quo fit, vt cum munus suum tueri, atque obire deberent, à iudicialibus prophanorum magistratuum foris nunquã discedant, non sine graui laicorum offensione, atque animarum, quibus præpositi sunt, & ordinis despicientia, ac ludibrio, immemores diuini illius præcepti, Nemo militãs Deo se negotijs implicet secularibus; eam ob rem omnes sine exceptione Clericos quacunque ij prædi iti sint dignitate, qui in nostra, aut Ciuitate, aut Diœcesi commorantur, monemus, vt intra mensem ab harum constitutionum editione à quo vis mercaturæ, negotiationis, monopolijque sordido genere, contractibus fœneratitijs, turpique lucro abstineant: boues ad arandum non locent: vectigalia nec publica, nec priuata, neque etiam Ecclesiasticã nobis inscijs exigenda redimant, ac conducant, seù actoris, quem vulgo factorem appellare solemus, munus exerceant. Quod si in vno aliquo ipsorum, quæ cauentur, peccauerint; à diuinorum functione sex menses abstinebunt, ac vel resti-

restituendi, vel in pauperum vsus erogandi quicquid malè fuerint lucrati, pœna tenebuntur. Si verò corrigi non poterunt; tum ordinum gradu, tum beneficij statu mouebuntur. Qui autem de contractu vel fœneratitio, vel fucato, ac simulato, vel quoquo modo inhonesto, atque iniusto fuerint conuicti, præter restitutionis pœnam, qua ex iure tenentur, ac pecuniæ, quæ fœnerandi materiam præbuerit, amissionem; à diuinis præterea annum vt abstineant, mandamus: & si iterum eadem de rè conuincantur, omnibus tum muneribus, tum beneficijs priuari volumus.

Qui messis vel vendemiarum, vel alio quouis tempore annonã, hoc est panem, vinum, oleum, & cætera eiusdem generis emerint, vt alijs postea vendant, aut in suis vel alienis aedibus cauponiam artẽ exercuerint, exculenta, ac poculenta venalia habentes (vnũ excipimus vinum, quod ex suis prædijs collegerint) viginti quinq; aureorum nummûm, quorum tertiam partem addicimus ei, qui ipsos detulerit, multa, ac pœna mulctabuntur. Qui verò in diuersorijs tabernis, ac ganeis, itineris necessitate non cogente, cibum ceperint, trium item aureorum nummûm multa toties multari volumus, quoties ea in re peccauerint. In duplum verò ibunt, atq; in carcerem præterea contrudentur, octo ibi dies futuri, qui in sua ipsorum Parœcia vel solus, vel vnà cum alijs id tale commiserint.

Ne Clerici accipiant à laicis bonorũm cessiones, nec alienam rem pro sua defendant in creditorum fraudem.

CONSTITVTIO DVODECIMA.

CVm iam, igitur, cauerimus, ne Clerici negotijs se se implicent prophanis; cauemus item, ne quis eorum vllam bonorum actionum, vel iurium in fraudem cuiusquam aut stipuletur, aut alio modo à laicis accipiat: neque talis vel cessionis, vel actionis, vel iuris vi, ac nomine ad iudicium, tribunaluè adsit, agat, experiaturuè, nec res, quæ illę cunque sint seù soli, seu quæ solo non adhæreant, ac manu tradantur, hoc est mobiles, seu immobiles, in creditorum reip., aut alicuius curiæ fraudem,

dem, specie, dominij domi habeat, asseruet, prosuis defendat, ac tueatur. Si verò secus factum fuerit; cessionem eiusmodi irritam, nullamque esse declaramus: & , qui vel ipsam, vel eiusmodi bona acceperint, eos viginti quinque aureorum nummûm multa multamus, atque, vt quanti illius in cuius fraudem cessio facta fuerit, intersit, resarciant, omnesque simul impensas, ac sumptus eidem, vt præstent, volumus, atque sancimus.

Ne Clerici aduocàti, causidici, tabellionis officium, medicinam, chirurgiam exerceant.

CONSTITVTIO DECIMATERTIA.

Mandamus præterea omnibus Clericis, qui vel beneficij sunt compotes, vel sacris ordinibus imbuti, ne aduocati, causidici, tabellionis, ac procuratoris officium, in caussis, quæ iure vetentur, apud forum, tribunalue prophanum audeant exercere. Qui verò secus faxit; eum à diuinorum tractatione, ac functione tandiù abstinere volumus, quàm diu nobis nostro arbitrio visum fuerit. Qui autem aduersus senatum, populumque Lucen. id tale tentauerit; is & eo ipso munere, & beneficio, in quinquennium priuabitur. Qui si monitus in peruicacia perseueret; non modo munere, ac beneficio, sed Ciuitate etiam omninò carebit. Id tamen perpetuum, ac sine vlla exceptione esse nolumus: nam qui vel pro Episcopo, vel pro Ciuitatis Clero, vel pro sua Ecclesia, ac populo eiusmodi personam sustinuerit; eum nos excipimus, ac secernimus libenter. Si quis verò tantæ temeritatis, tanque ingrati animi fuerit, vt aduersus vel Episcopum, vel Episcopatus fundos, quàm mensam vocant, id fuerit conatus (nisi si vel pro se ipso, vel sua Ecclesia fecerit) omnibus tum officijs, ac muneribus, tum beneficijs priuabitur, & ordinum præterea functio eidem tandiù interdicetur, donec solutione, ac liberatione visus nobis fuerit non indignus.

Qui autem ab arte, vel medica, vel chirurgica, ea de re monitus desistere noluerit; præter eas, quæ sunt, à sacris constitutionibus propositę, alijs prætereà pęnis ad nostrũ arbitrium punietur.

Qua pœna teneatur Clericus, qui laicum offenderit.

CONSTITVTIO DECIMAQVARTA.

QVoniam vehementer optamus, ne laici de ecclesiastica iustitia conquerantur, ob pœnæ, quam illa suis irrogare consueuit, inæqualitatem; sancimus vt, si Clericus, etiam ex ijs, qui se alicui sodalitio addixerint, quos regulares vocant (modo nostræ pareant iurisdictioni, atque administrationi) verborum contumelijs laicum lacerauerit, eique conuicium fecerit, aut telo, vel sine telo aggressus manus tàm violenter iniecerit, atque intulerit, vt ille sanguinem effuderit, ijsdem in illum pœnis animaduertatur, quibus in laicos, ex Ciuitatis iuribus animaduertitur. Vnam tantum excipimus, quæ capitis est, seù sanguinis; cuius cōmutationem nostro arbitrio reseruamus.

Quo modo Clericus alicuius criminis flagrans infamia se purgare ea de re posit.

CONSTITVTIO DECIMAQVINTA.

SI contigerit, vt Clericus de ecclesiastico ambitu, seù (si quis id malit) simoniaca labe fœnore, homicidio, adulterio, incestu, stupro, & alijs eiusdem generis criminibus male audiat, & tamen crimen notum, ac manifestum nequaquam sit; ita demum se se ea de re purgare posse statuimus, si septem, aut etiam paucioribus (modo nobis ita videatur) vel Clericorum, vel laicorum honestorum tamen, atque ingenuorum dictis testimonijs iurauerit, se immeritò eiusmodi infamia laborare, quod longissimè absit à culpa: qui quidem testes volumus, vt ipsi quoque iurent, se credere, Clericum ipsum iurasse verissimum, sanctissimumque iusiurandum. Ea autem purgatio, si Clericus à populo vulgò male audierit, publicè vt fiat, mandamus: si verò non ab omnibus, sed à paucioribus; illis ipsis tantum excusationem dari, satisfactionemque afferi volumus: si autem eum tunc purgatio de fecerit deque re fuerit conuictus, punietur.

DE MISSIS, ET PRECIBVS, QVAE HORÆ CANONICÆ DICVNTVR, CELEBRANDIS.

TITVLVS TERTIVS.

Quæ vitanda, quæ contra seruanda sint in Missa celebranda.

CONSTITVTIO SEXTADECIMA.

QVONIAM *ex omnibus sacris mysterijs, quæ nobis tanquam diuinæ gratiæ certissima instrumenta Dominus Saluator noster commendauit, nullum est, quod cum sanctissimo Eucharistię Sacramento comparari queat, quemadmodum Romanus Cathechismus ait; eam ob rem vnicuique danda est obnixè operà, vt cum magna reuerentia, religione, & sanctitate ad id conficiendum accedat: prę sertìm verò cum nulla grauior alicuius sceleris animaduersio à Deo metuenda sit, quàm si res omnis sanctitatis plena, vel quæ potius ipsum sanctitatis authorem, & fontem continet, neq; sanctè, neque religiosè à fidelibus tractetur. Quare summopere Apost. verba in mentem reuocanda sunt, Probet autem se ipsum homo, & quę sequuntur. Quæ quidem probatio, vt sancta Trid. synodus docet, fit per propriam confessionem sacramentalem.*

Rem, igitur, diuinam facturus, hoc est Missam celebraturus, si

acerdotis copiam habere poterit, memor illius, septies in die cadit iustus, peccata sacerdoti prius confitetor: sin minus, contritionem saltem habeto: & statim, atque celebrauerit, aut quàm primum poterit sacerdotem adito. nocturnas preces, quæ matutinum vocant, & psalmos, qui ad diuinas laudes pertinent, vnà cũ matutinis, quæ Prima dicitur, recitato.

Missam prius perlegito.

Suis quamque Missæ partem signis notato: ne, si vel minus articulatè legat, vel errorem; committat, auditoribus sit offensioni.

Orationi aliquandiu vacato.

Manus abluito.

Ab oratione suetis indumentis amictu, alba ad talos vsque æquè demissa, cingulo, manipulo, stola, casula, mundis, ac decentibus non sordidis, lacerisuè ornotor.

Preces, quas in singula indumenta præscribit codex, quod Missale dicitur, recitato.

Nudis pedibus, Calopodijs vè, soccis vè indutus, incompositè vè ad altare ne accedito: sed modestè, ac reuerenter, vt se non tantum corpore, sed tota etiam mente, omnique pij, & religiosi animi affectu, ad rem diuinam adfuturum, præseferat.

Sacris vestibus indutus, atque ad rem paratus, sacrarium, Ecclesiamuè nc inambulato.

Ne cum aliquo confabulator, colloquitoruè: sed quæ nam mysteria sit perfecturus, cum animò suo cogitato.

Ad altare cum peruenerit, si super illud Eucharistiæ Sacramentum aderit, genibus connititor; sin minus, caput reuerenter demittito.

Ab altare discedens idem facito.

Capitium, sudariolum ad nares emungendas, & alia eiusdem generis super altare ne ponito.

Ad altaris latera neminem, maximè verò mulieres propius accedere permittito.

Missam prius ne auspicator, quàm binæ, minimum, cereæ faces super eo fuerint accensæ.

Confessione expleta, atque absoluta, qua decet modestia, ac

gra-

grauitate altare ascendito.

Sacra mysteria, ac cærimonias augustè, sanctè, religiosè ex rubricarum, quas vocant, præscripto, conficito, ac peragito.

Lectiones, epistolam, Euangelium, orationes, ceteraque omnia articulatè, ac dilucide, potissimum verò consecrationis verba distinctè, atque integrè proferto.

Crucis signum super oblata extensis digitis accuratè, exquisitè exprimito.

Altare, non Calicem osculator.

In ijs neque nimis incitatus celeruè, nec nimium cunctator, aut morosus esto. Nimia enim celeritas, incitatiouè ijs, qui audiunt, pietatem aufert, cunctatio, ac morositas satietatem affert.

Cum eleuandum est Corpus, ac Sanguis Domini Nostri Iesu Christi vnum saltem funale, ac tintinnabulum, quod distinctis ictibus pulsetur, præstò sunto.

Cætera, quæ Classium regulis præscribuntur, diligenter seruato.

Missam prius, quàm calore stomachi cibum mutauerit, ac concoxerit, ne celebrato: & ad rem ieiunus omninò, ac siccus accedito: crudior à celebratione abstineto.

Ab ea cibum statim ne capito:

Duobus, minimum, præsentibus testibus celebrato, non paucioribus.

Non ante primum diluculum, nisi in nocte Natalis diei Domini Nostri Iesu Christi.

Non post meridiem, præter quàm Sabbathi Sancti die.

Non loco, Deo non ritè dicato, pollutouè.

Non in priuatis aedibus, etiam si vel matrimonij, vel ægrotationis, vel quæuis alia subsit caussa.

Non in atrio.

Non sub dio.

Non sub templi particibus.

Non in exterioribus sacrarum, quas moniales votant, virginum Ecclesiis, nisi eius rei vel à nobis, vel à superiore si, sit regularis, facultate impetrata.

Non super altari ritè nequaquam consecrato, turpiterue fracto, cuius alueus, quod sepulchrum appellant, operculum habeat, quod male hæreat, & huc, illuc moueatur, aut lapis sacer à fronte altaris longius absit, & quod tribus mappis candidis non sit stratum, & ornatum quarum extima ab eiusdem lateribus vnum saltem cubitum dependeat.

Non in Calice labefactato, lingneouè, aereouè, stamneouè, vitreouè, aut qui ex orichalco constet: nec cum orbe, siue Patena non aurea, aut argentea, vel saltem quidem aerea, sed inaurata, nitida, neque maculis aspersa, æruginéuè obducta.

Non super linteolo, quod corporale, neque cum quadra, quæ Palla dicitur, immundis. Sed his omnibus integris, nitidis, elegantibus, ac decentibus ad sacrificium vtitor.

In vino acido, coacescenteuè, turbidouè, aut in musto ne conficito.

Albo potius, quàm rubro vtitor.

Sacro absoluto ante altare genibus nixus Deo gratias agito.

Sacrarium modeste repetito.

In pretereundo Episcopo tantum, vbi se occasio tulerit, & eius generis antistiti caput demittito, præterea nemini.

Antiphonam cum cantico, Benedicite, & psalmo, Laudate, &, quæ præscribuntur, precibus, piè, ac religiose recitato.

Qui secus faxit, is pæna, quam suspensionem à diuinis vocant, fructuum detractione, beneficiorum priuatione, Carcere, multa pro delicti, ac culpæ grauitate coercetor.

Iam verò sacerdotes omnes monitos esse volumus, vt orationem quæ incipit, Aufer à nobis, & quæ ab ea sequitur, Oramus te Domine, præterea, Per intercessionem S. Michaelis Archang. &, Munda cor meum, ac labia mea, & psalmi fragmentum, Lauabo inter innocentes, &, Placeat tibi Sancta Trinitas, vnà cum cæteris, quæ suppressa voce pronunciantur, memoriæ commendent, ac fideliter retineant: vt quæ in tabella, quam in medio altaris ob oculos proponi, ac statui iubemus, sunt descripta, oculis facilius colligantur: ex quo fit consequens, vt cærimoniarum vsus planior sit, atque expeditior.

Nemo alios ritus, cærimonias, ordinem, orationes, seu preces

adhibito, quàm quæ ex Romani Missarum codicis præscripto adhiberi consueuerunt.

Certum Candelarum numerum, tanquam superstitiosum à sua quisque Ecclesia procul amandato, atque expellito.

Plures, quàm tres, aut ad summum quinque orationes, quas collectas vocant (nisi secus codex moneat) ne adhibeto.

Clericum administrum, albatum asciscito.

Cauemus prætereà, ne quis uel paciscatur, uel conditionem ullo modo ferat de mercede, quantula ea cunque sit, pro celebrandis Missis: & ne importunè, atque improbè pro prima Missa eleemosinæ petantur, vel potius extorqueantur, tanquam rem simoniacam. Post Missæ verò celebrationem, si piè eleemosinæ ipsæ offerantur, quo minus sacerdotes accipiant, non impedimus: ita tamen, si nulla præcesserit conditio, nulla pactio.

Vt Sacerdotio initiatus intra annum primam Missam celebret, non sine tamen Episcopi permissu.

CONSTITVTIO DECIMASEPTIMA.

ANtiquorum Patrum, & Concilij Tridentini decretis, eorumq; quorum in locum nos fuimus suffecti, cauetur, vt vnusquisque in eo, quo fuerit initiatus, in primis verò Sacerdotium adeptus, ordine sese exerceat, ne tantum ministerium, præpotenti Deo maximè gratum sibi, ac proximo frustra accepisse videatur; quam ob rem omnibus sacerdotali ordine, tum adhuc ornatis, tum in posterum ornandis præcisè, districtèque præcipimus, dent operam, vt intra annum, à die suscepti ordinis numerandum, sacras cærimonias à perito eius rei sacerdote edocti non sine tamen nostro concessu, ac permissu Missam celebrent, memoria prius, quæ sunt consequenda, fideliter consecuti. Atque id singulis saltem Dominicis, ac festis solemnibus diebus posthac sedulò faciant, ac studiosè præstent. Si autem animarum procurationi fuerint præfecti, tam frequentes ea in re sint, quàm muneri suo cumulatè satisfactum esse intellexerint. Qui verò contra faxint, eorum fructus, quos ex beneficij vectigalibus perceperint, in pauperum vsus

tandiu

tandiu distribuentur, donec huiusmodi pareant constitutioni. Qui autem beneficio carebunt; grauiter nostro arbitratu punientur.

Primam celebraturum Missam, nisi partes, effectus, vitiaque, quæ inter celebrandum euenire possunt, cærimonias, musicem optimè calluerit, ac de his omnibus illius fidem exhibuerit, quem nos ei rei præfecerimus cognoscendæ, ad Missę celebrandæ facultatem minimè liberabimus.

Tripudia, fidem, cithararum, & id genus alia, vna ecclesiasticorum musica, & organorum symphonia excepta, commessationes, quæ ad celebrantem referantur, cetorosque eiusmodi abusos dum noua Missa celebratur, omninò interdicimus: proponimusq; arbitrij nostri pęnam, quam sacerdos ipse luet, secus si fuerit factũ.

Vt semel tantum in die Missa celebretur, excepto D. N. I. C. Natali die: & qui celebranti ministrare prohibeantur.

CONSTITVTIO DECIMAOCTAVA.

CVm satis, superque fęlix appellari possit, cui contigit, vt non indigne semel in die rem diuinam fecerit; eam ob rem probibemus ne quis sacerdotũ sacrũ amplius semel in die cõficere audeat: proponimusque, si quis secus faxit, non modo sacrarum constitutionum, sed etiam arbitrij nostri pęnam; vnum excipimus Natalem Domini Nostri Iesu Christi diem, prætereà nullũ. Quo die vnusquisque sacerdos, in primis verò Parochus, non sine magna mysteriorum significatione eam rem ter facere debet, semel videlicet media nocte, iterum crepusculo, tertio verò illa hora, quæ tertia vocari consueuit; Iis verò Ecclesiis, quarum ministerio non vnus modò, sed plures sacerdotes sunt addicti; sacrificium ipsum vnico contextu, ac continuatione, & quadam quasi perpetuitate fieri licebit. Quo quidem tempore cauendum erit, vt vinum, quod purificationis vocant, non nisi ad extremum tertiæ Missę hauriatur, ne ieiunium lædatur, sed integrum ad illud afferatur: item ne aqua primæ, ac secundæ abluttonis in terram effundatur, sed vel Calice, vel alio vase excipiatur post sacrificiũ haurienda.

Man-

Mandamus porrò, vt sacerdotũ administri, qui altari ministerio inseruituri sunt, non modò sint Clerici, sed cultu, atq; ornatu ad se pertinenti, etiam induti, capitio nimirum clericali, veste longa, & linea, quod super pelliceum vocant, etiam super induti.

Presbiterorum filios ex iniustis videlicet nuptijs natos, ne populo paternę incontinentiæ testes sint, ab eius generis ministerio arceri iubemus: quod idem de fœminis, atque adeo de maribus, qui vxorem habent tum intelligi volumus, si Clerici prœstò esse, & ad manum poterunt haberi.

Secus si fuerit factum, sacerdotes ipsi vt à diuinorum functione, ac tractatione triginta abstineant dies, præcipimus, atque mandamus.

Vt Dominicis, festisque aliis id genus diebus Missę, neque peculiares, neq; votiuæ, neq; pro mortuis celebrentur, neq; in sacellis, dum sacrificium in Parœcię Ecclesia fit, neque ante quam fiat: & ne propria Ecclesia Missę sacrificio illis ipsis diebus defraudetur.

CONSTITVTIO DECIMANONA.

AD nonnullorum auaritiam, atq; abusum tollendum, cauemus, ne quis Dominicis, alijsque eiusdem generis diebus, qui ex Ecclesiæ præcepto sunt festi, peculiarem, vel votiuam, vel ad mortuorum suffragia pertinentem, Missam audeat celebrare, aduersus sanctorum Patrum decreta, illa omissa, quæ in illum cadit diem. Contra qui faxit, is triginta dies ab ea celebranda abstinere cogetur. Qua etiam pœna tum eos teneri volumus, qui in quibus vis sacellis, seù oratorijs, vel societatibus absque Parochi permissu Missam celebrauerint, vel dum in Parœciæ Ecclesia celebratur, vel antequam ibidem celebretur, tum eos qui propria Ecclesia derelicta, atque deserta, ijsdem diebus ad aliam sese conferunt. Quod ita tamen intelligendum esse declaramus, si vel ius, vel mos, consuetudoque, quæ maneat, secus non postulet, quà alið celebratum ire eis ius, fasque sit.

Quę cauere debeant Missam in aliena Parœcia celebrantes, & ne sacerdotes peregrini, sine Episcopi concessu ad eam celebrandam admittantur.

CONSTITVTIO XX.

QVoniam nemo debet alienam messem metere; cauemus, ne vllus sacerdos in aliena Ecclesia absque nostra, vel illius, qui ei ipsi Ecclesiæ præsit, venia sacra faciat, demortuorum corpora sepultura afficiat, Ecclesiastica Sacramenta ministret, in contrahendis nuptijs auspicem se prębeat, sponsosque matrimonio coniungat, aut alia id genus faciat, quæ ad proprium spectant Parochum, cum hæc Parocho ipsi fraudi esse, ac detrimentum importare possint.

Ad tollendam autem offensionis, iurgij, ac rixæ materiam declaramus, omnes oblationes, atque eleemosynas in Ecclesia quo quomodo coactas, & sacerdoti quamuis Ecclesię ipsi præpositi permissu, sacrum facienti, porrectas, ad eam, ac prępositum referri, & ad ipsum, non ad alium, redire; nisi si ab eo, qui porrexerit, atque erogauerit, secùs fuerit expressum, aut alteri præcipuo aliquo iure vsui esse, atque vtilitati seruire debere constiterit. Si quis verò secùs in horum aliquo faxit; tum à diuinorum tractatione, ac functione, quandiù nobis visum fuerit, eum abstinere, tùm ipsarum eleemosynarum, atque oblationum repetundarum pęna in triplum teneri sancimus.

Qui verò peregrinum sacerdotem in sua Ecclesia, sacellis vè, alijsque id genus Parœciæ suæ locis sacrum facere permiserit, non perspectis, ac perlectis concessus nostri litteris; is quinquaginta multabitur libris. Si verò iterum eòdem erroris lapsus fuerit, in Carcerem ad mensem contrudetur. Si autem illi animarum curandarum munus obire permiserit; dupli plectetur pęna.

In ipsos porrò peregrinos sacerdotes, qui absque nostro concessu fuerint sacra facere ausi, pęna vel carceris, vel exilij pro nostro arbitrio animaduertetur.

Qui quidem tum demum eorum peragēdorum licentiam obtinebunt, cum commendatitias litteras exhibuerint.

Vt sacrę preces, quod diuinum officium vocant, iuxta Episcopalis Ecclesiæ ritum celebrentur, & à quibus quotidie sint recitandę.

CONSTITVTIO XXI.

CVm diuina officia, ac psallendi modus in omnibus, cuiuscumq; sint generis, Ecclesiis (nisi si secus à sede Apostolica fuerit concessum) eo, quo in Cathedraria, modo celebrari debeant; statuimus, ac mandamus singulis Ecclesiarum Capitulis, Collegijs, Cænobijs, nec non omnibus Abbatibus, Decanis, Prioribus, Prępositis, Plebanis, cæterisque omnibus, qui Ecclesiastico beneficio fruuntur, reliquisque prætereà Clericis, qui in nostra Diœcesi commorantur, vt ijs, quibus debet, & consueuit, tàm nocturnis, quam diurnis horis Deo piè, ac religiosè psallant, & diuinas, ac sacras precationes, iuxta ritum, atque ordinē, quē codex precarius, quod Breuiarium vocant, Tridentini Concilij decreto, & Pij quinti iussu editus, præscribit, recitent; sic, vt per vniuersam Diœcesim vnus, atque idem modus, & ordo psallendi, & orandi, Missæque celebrandæ seruetur. Mandamus, igitur, minori Ecclesiæ nostræ sacrarij custodi, vt quotquot annis Calendarias tabulas diligenter conficiat, easque imprimendas curet. Quarum exemplum præcipimus, vt omnes, quos paullò ante commemorauimus, ante calendas Ianuarij apud se habeant: proponimusque ijs, qui non paruerint, vnius aurei nummi pęnam. Id quod eò maiori nobis curæ esse debet, quòd nemo ignoret, fures, latrones, beneficiorum raptores vocari, fructuum restitutionis pęna teneri, & grauiter peccare eos, qui vel Ecclesiasticorum compotes beneficiorum, vel sacris ordinibus initiati, singulis diebus huiusmodi muneri minus cumulatè satisfaciunt. Nam si, qui beneficio fruitur, per sex menses ab eo numerandos die, quo beneficium fuerit consecutus, & quietè, otiosèque possederit, eius muneris functionem vel vno, vel pluribus diebus omiserit, neque iusta caussa subsit; vectigalia omnia, quæ pro rata portione vel illo, vel illis ipsis, quibus omiserit, diebus, ad eum redeunt, ex Pij Quinti constitutione Anno M. D. LXXI. *edita, amit-*

tit: videlicet qui nocturnam psalmodiam, quod Matutinum dicunt, non recitauerit, dimidiam, qui diurnam, alteram dimidiam, qui vnam aliquam diuinæ psalmodiæ horam, sextam partem. quæ quidem vectigalia, seù fructus, ex ea ipsa constitutione sunt ab ijs vel in suarum Ecclesiarum exædificationem, vel in pauperum eleemosinas eroganda. Atque eàdem etiam constitutione tenentur, qui pensiones, vel fructus, beneficiorum, aut id genus aliquid aliud Apostolico concessu tanquam Clerici possident, si Compendiarium orandi officium, quod B. virgini quotidie debēt, minimè persoluerint.

Qui porrò cupit, vt psalmodia, laudes, & aliæ eiusdem generis precationes, Deo gratæ, acceptæque sint; is siuè in choro, siuè extra illum sibi sint recitandæ, studeat se prius præparare, iuxta illud: Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Deinde verò omni pietate, ac reuerentia clara voce distinctè, atque articulatè, statis horis eam rem absoluat, neq; colloquia nec aliarum rerum lectionem, vel somnū intermisceat, aut alia faciat, quæ mentem à Deo traducere, & auocare possint.

Quæ omnia in nostra Cathedraria Ecclesia (quæ vt reliquarum mater est, ita cæteris omnium virtutum specimen esse debet) seruanda mandamus: proponimusque, siquis contrafecerit, arbitrij nostri pœnam.

Mandamus ad hæc omnibus sacerdotibus, cæterisque, qui sacris sunt initiati, vt singulis festis diebus nisi alteri Ecclesiæ sibi sit inseruiendum, Missæ, ac vesperis Canendis cum lintea veste, quod superpellicenm vocant, & capitio Clericali in Parœciæ Ecclesiæ intersint, quod idem in pompa cum supplicationes fiunt, locum habere intelligendum est. Secus qui faxit; is neque ad festos, neq; ad funerarios dies celebrandos, & iusta mortuis peragenda admittantur.

Instrumenta musica Ecclesiastica, quæ organa vulgò vocantur, spirituales duntaxat modos faciunto, neque ad illos lasciua in Ecclesia canuntor.

Spirituales, & casti cantus ita graues, distincti, & diuinis laudibus accomodati sunto, vt & verba exaudiantur, & auditores simul ad pietatem excitentur.

Quo

Quo Clericis in Choro, processionibus, ac Sacramentis administrandis ornatu, ac cultu sit vtendum.

CONSTITVTIO XXII.

Clerici, dum diuinæ psalmodiæ, quas horas Canonicas appellant, vel aliјs id genus diuinis officiis, pompis, funeribus, exequijsuè mortuorum intersunt, atque etiam dum sacramenta administrant; eo, qui ipsorum est, cultu, atque ornatu vt induti sint, sancimus: capitio, nimirum, vestibus ad talos vsque demissis, cum lacerna, seu penula, & cucullo pro dignitatis gradu, atque Ecclesiarum, ac rerum, quas tractabunt, genere.

Grauitatem, modestiam, pietatem, vt Ecclesiasticam decet disciplinam, præseferunto: quo laici eorum exemplo edocti reuerenter in Deum, eiusque Ecclesiam, atque ministros se se gerant.

Prophana negotia, colloquia, garrulitates, ridicula, iocosa, inhonestauè diuinis ne intermiscento.

Linguis ne fauento, sed diuina perpetuò vrgento.

Dum diuina psalmodia in Choro vel decantatur, vel recitatur, nemo id secum priuatim præstato.

E choro ante tempus ne discedito.

Solemnes cærimonias assurgendo, genuflectendo, caput aperiendo, ac demittendo ita seruato, vt nullus reprehendendi, sed omnis laudandi relinquatur locus.

Qui sine eiusmodi ornatu in Chorum se se arroganter intulerit, atque intruderit, qui vè talem in suam ipsius Ecclesiam admiserit; is à diuinorum tractatione, ac functione mensem abstineto.

Si verò Sacramenta lintea veste, ac stola non superinduti administrauerint, grauiori etiam pæna punientur.

DE

DE PAROCHIS, ET ANIMARVM PROCVRAT. PRAEFECTIS.

TITVLVS QVARTVS.

Quæ Parochis, cęterisque publicæ animarum procurationi præpositis sint seruanda.

CONSTITVTIO XXIII.

CVM vnusquisque vniuersalis illius horrendi iudicij die præpotenti Deo villicationis suæ rationem sit exquisitè, subtiliterquè redditurus, inprimis verò ij, qui publicæ animarum curationi sunt præpositi; eam ob rem vnusquisque maximè studere debet, vt partes sibi datas, impositamque personam pro viribus sustineat, ac tueatur: ne vel ignauię, vel negligentiæ, tum in hac vita à superioribus accusari, tum in altera ab incorruptissimo Iudice meritò damnari queat. Dominus enim ait, speculatorem dedi te domui Israel: & diligenter agnosce vultum pecoris tui, & super greges tuos considera. Non solum enim ouium, quæ nobis commissæ sunt, sed etiam, quod longe maius est, singulorum, quæ otiosè, ac frustra fuerint prolata, verborum nobis ratio est reddenda. Parochi, igitur, in Sacramentis administrandis sollicitudinem, prudentiam adhibento.

Eorum formis nihil quicquam addunto, neve de ipsis detrahunto.

Eorundem efficientiam, ac vim populos ipsi per se docento.

Ne quis infantum Baptismo non initiatus, adultorum verò poeniten-

nitentiæ Sacramento non expiatus, sacrosancto Viatico non sustentatus, ac munitus, extrema vnctione non delibutus, cohortationibus non erectus, ac confirmatus, sacris precibus Deo non commendatus, sua, aut culpa, aut negligentia è vita discedat, diligenter cauento.

Singulis Dominicis, cæterisque festis Aduentus, Quadragesimæ, Quatuorque solemnium temporum diebus, populum, qui tunc frequens in ecclesiam cōuenire consueuit, de fide, de ijs, quæ ei sunt, vel sequenda, vel vitanda, de reuerentia, pietate, & religione, quandiù in Ecclesia sunt, adhibenda, de ratione, ac modo, quo alter in alterum se præstare debet, instituunto.

Euangelia, & Epistolas, inutilibus, & minimè necessarijs quæstionibus omissis, caritatis studio, & cordis simplicitate, iuxta catholicorum sententiam pro suo, & audientium captu interpretantor.

Symboli summa capita, precandi formulam, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Dei, Ecclesiæque præcepta, septem eiusdem sacramenta, quæ sunt ad salutem nostram à Christo instituta, cæteraq; christianæ religionis rudimēta, vt edis cāt, curāto

Quæ peccata læthalia sint, quæque de peccato, quod origine contrahitur, & quæ de iustificatione, vt sacrarum rerum scriptores suo vocabulo appellarunt, cum quis ex impio fit pius, ac iustus, à Tridentina Synodo sint tradita, vt omnes nouerint, operam nauanto.

Vberrimos, eosdemque præstantissimos Missæ fructus, vndè ad nos perueniant, exponunto. Et licet Ecclesia interdùm Missas in memoriam, & honorem sanctorum celebrare consueuerit; non illis tamen sacrificium, sed vni Deo, qui sanctos immortali gloria coronauit, vndè omnes ad nos gratiæ manant, tam pro viuis, quàm pro mortuis offerri ad vtrorumque scelera expianda, diligenter docento.

Omnes præterea, qui sunt ex Parœcia, vt sæpè in anno peccata sacerdoti confiteantur, ac sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum crebrò percipiant, vt vno, eodemque pacis, & caritatis vinculo coniuncti, & vno veluti corpore coagmentati in Christo maneant, monento.

In sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Corpus, ac Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi vnà cum anima, ac diuinitate contineri, fierique totius substantiæ panis in corpus, ac totius substantiæ vini in sanguinem conuersionem, ac totum, atq; integrum sub altera tantum specie, Christum sumi, declaranto.

Solemnia, vigiliarum, quatuor temporum, Aduentus, & Quadragesimæ ieiunia, vt colant, vtque eo ipso tempore semel tantum in die cibum capiant, caseo, & id genus alijs, ouis abstineant, & ne Quadragesimæ diebus, carnes, & alia huiusmodi esculenta, quæ prohibentur, publicè venalia habeant, præcipiunto.

Festos dies, qui in hebdomada futuri sunt, singulis Dominicis diebus populo prędicunto.

Ad eos colendos, sanctosque habendos, preces faciendas, diuinarum rerum contemplationem excitandam, & cætera pietatis studia exercenda hortantor.

A seruilibus corporis operibus actionibusuè, vt abstineant, vtque officinas, tabernasuè non patefaciant, ne vè merces habeant venales, nundinas, mercatumuè instituant, exerceantuè, ludo operam dent, choreas ducant, præsertim super sepulchreta, seù cęmeteria, imperanto.

Hisce diebus in Domino piè, & religiosè gaudendum, non dissoluta lætitia saltandum, monento.

Parentibus vt in timore Domini educant familiam, in eodem alant, & ad Christianam doctrinam audiendam, atque discendam secum ducant, & cum opus fuerit, sacro eos chrismate confirmandos stato tempore, curent, in memoriam rediganto.

Culparum remissiones, condonationes vè, quas indulgentias vocant, à Summis Pontificibus concessas, piè, ac religiosè suscipiendas, mortuorum animabus, quæ Purgatorio igni adhuc expiantur, viuorum suffragia salutaria esse, docento.

Mulieres, vt infantibus lactandis cautionem adhibeant, ne vè ante annum in lecto apud se statuant, vt ne eos opprimant, monento.

Oppressio (quod Deus omen auertat) si contigerit; vt quàm primum se nobis sistant, absolutionem, cum salutari pœnitentia consecuturæ, imperanto.

In

In paræcia ne iniusta sponsalia contrahantur, ne uè iusta veti-to tempore, aut non solemni ritu celebrentur, cauento.

De contrahendis ter populum inter sacra publicè monento, idque tribus continuis, aut perpetuisq; festis diebus, vt si quid obstet, & impediat, id sibi à populo ipso patefiat.

Hæreticis, hæreticorumuè libris scriptisuè vtentes, fanatis exercentes, ab Ecclesiæ communione seiuncti, Deo Diuisuè conuiciantes, concubinam loco vxoris habentes in paræcia vt ne sint, prohibento.

Si qui sint, qui moniti non resipiscant, qui vè scelera in Ecclesia perpetrarint, Clericos pulsauerint, verberauerintuè, vbi primùm resciuerint, ad nos deferunto.

Publicè qui deliquerit, publicè, sed modestè obiurganto.

At qui occultè; priuatim, sed studiosè monento.

Ab alienatos inimicorum animos reconcilianto.

Controuersias sedanto.

Egenorum, miserorumuè, parentibus orbatorum, viduarum curam suscipiunto.

Hæc, & quæ ad animarum salutem spectant, omnia diligenter, sollicitè, prudenter præstanto.

Animarum numerum, ætatem, sexum, nomina in codice, qui huiusmodi tantum sit vsui, descripta habento.

In eum recens natos, recens mortuos, vt omnium rationem reddant, referunto.

Sacrosanctum Missæ sacrificium præter festos dies, ter prætereà in hebdomada (nisi sæpius ex suæ ipsorum Ecclesiæ iure debeant) faciunto.

Hospitalitatem, quantum per vectigalia licet, promptè, ac liberaliter exercento.

In pauperes, egenosuè suæ præsertim paræciæ, vt & ipsi à Deo misericordiam consequantur, misericordes, ac benigni sunto.

Pueros, quos & optimæ esse indolis, & Ecclesiastici ordinis ita cupidos animaduerterint, vt in eum cooptari velint, exarandi, scribendiuè artem, litteras, Ecclesiæ ritus, ac cærimonias diligenter docento.

Singulis Dominicis cuiusque mensis diebus lustralem aquam conficiunto.

ea populum aſperganto.
Veterem antiquanto.
Nouam adhibento.
Signum ſalutandæ virginis tum oriente, tum obeunte ſole, ac domeſticæ precis faciendæ ſecunda primę vigiliæ hora ad indulgentias conſequendas, quas Gregorius decimus tertius Pont. Max. noſtræ conceſſit Diœceſi Anno M. D. LXX. *aere, quod campanum vulgò vocant, ſingulis diebus edunto.*
Quadraginta horarum ſpatio in Parœcia orandi tempus quotquot annis indicunto.
Quadrageſimæ diebus, maximè verò feſtis ſacrum concionatorem in Eccleſiam adhibento.

Quæ ad Dei cognitionē, ſanctorū deprecationem, & imaginum venerationem pertinent, populos Parochis docendos.

CONSTITVTIO XXIIII.

CVm rerū omnium creator ſit Deus, tum eorum, quę ſub aſpectū cadunt, tum verò quæ non cadunt, idemq; trinus ſit in perſonis, vnus verò in eſſentia, à quo cuncta manant, cunq; ne capillus quidem de cuiuſquam capite defluat, abſque ipſius nutu, ac voluntate; eam ob rem Parochis docendum eſt, populoque probandum, vnum Deum, hoc eſt ſanctiſſimam trinitatem, patrē, filiū, ſpiritum ſanctum, toto pectore, atq; ex animo, totaq; mente, ac viribus eſſe amandū, colendum, adorandū, in eoq; vno fiduciam, ac ſpē defigendā, ac collocandā, omnesq; tum actiones, tū cogitationes ad eū dirigendas. ipſe enim nos regit, ac gubernat, & quæ ſunt ad vitam neceſſaria, nobis ſuppēditare nunquā deſinit; cætera itē, quæ Apoſtolorum Symbolo continentur, iuxtà Romanum Cathechiſmum exponenda ſunt, ex quibus homines pro cuiuſque captu Dei cognitionem facilè percipiant, atque aſſequantur. Beatiſſimę quoque virgini, Angelis, ſanctis omnibus venerationem, cultumque adhibendum, ipſorumque reliquijs, oſſibus, ac cineribus honorem tribuendum, eoſdemque implorandos, atque inuocandos: vt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui vnus redemptor,

& seruator noster est, eorum precibus consequamur, quæ ipsi per nos, vt indigni consequi nequaquam posse putamus, ijdem Parochi tradere debent: quemadmodū etiā, dū sanctos imploramus qui vnà cū Christo regnant, vt ab eo gratiā aliquam nobis impetrent, Deū ipsum à nobis quoque supplicandum esse: eo tamen, quo Iesus Christus nos docuit, modo, videlicet, vt id, quod petimus, consequi cupiamus, modò eius non repugnet voluntati: sic, vt non nostra, sed ipsius fiat voluntas, qui omnia nouit, nosque magis amat, quā ipsi nos amemus, qui bonum, malum, & contra, malum bonum persæpè dicimus, quæque nocitura sunt, enixè expetimus, ac postulamus.

Imaginibus quoque, Iesu Christi, Beatissimę Virginis, ac sanctorum, venerationem, cultumque adhibendum esse, à Parochis, est tradendum: non quòd credatur inesse aliqua in his diuinitas, vel virtus, per quam sint colendæ, vel quòd ab eis aliquid sit petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; sed quòd honos, qui eis exhibetur, referatur ad ipsa prototypa, quæ ipsis imaginibus repręsentantur, ita vt per imagines, quas veneramur, Christum adoremus, ac sanctos, quorum illæ similitudinem gerūt, veneremur. Idem enim pictura, ac sculptura rudibus, atque imperitis præstat, quod scriptura literatis, & prudentibus viris, cum sanctorum historias, martirumque victorias ita indè cognoscant, vt eos sibi proponant ad imitandum. Quæ omnia in hominum animis diligenter, ac studiosè imprimenda Parochi curare debent.

De sanctorum reliquiis, deque miraculis in vulgus absque Episcopi permissu non indicandis.

CONSTITVTIO XXV.

QVoniam sacra Tridentina Synodus ex Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ vsu vnanimi patrum, & sacrorum conciliorum consensu recepto nos docet, sanctos, tanquam vnà cum Christo regnantes, ac pro nobis preces Deo facientes, non solum nobis in nostris calamitatibus inuocandos, atque imploran-

dos, sed eorum quoque reliquijs, quæ fuerunt Christi membra, ac Spiritus sancti templum, honorem maximum, ac venerationem tribuendam; eam ob rem Parochos, cæterosq; Ecclesiarum præfectos monitos esse volumus, vt eorum reliquias, si quæ in ipsorũ Ecclesiis sint, honorificè in vasis vel ex argento, vel alia materia, modo inaurata, panno serico inuoluta, cum odoribus, loco decenti in Ecclesia cum lycnis pensilibus, seù lampadibus (si tamen pro modo facultatum Ecclesię id præstare possint) & cum nominum inscriptione reuerenter asseruent. Quorum quidem nominum cathalogum conficiendum, & in codicem ad eam rem paratum referendum præcipimus, atque mandamus. eas porrò reliquias, caueamus, ne vnquam sine fanalibus ardentibus exhibeant, patefaciantuè, aut cupiam dent nudas osculandas, sed velo, aut serici panno obnuptas: neque laicis vlla religionis adumbrata specie de eis accomodent, neque ad ægrotos exportent: sed moneant, nefas esse laicis, eas penes se habere, vel in suis ædibus, priuatisuè facellis asseruare. Quæ autem vel sine nomine, vel in puluerẽ redactæ fuerint repertæ; honesto loco asseruentur, neq; populo patefiant.

Cauemus prætereà, ne nouas sanctorum reliquias, miraculauè absque nostro præcipuo, proprioque consensu, neq; in vulgus emanare, neque patere sinant. Si quid verò in parœcia miraculi nomine fuerit peruulgatum; iubemus Parochum intra decem dies ad nos adire, facti seriem narraturum: vt re, caussaque cognita, adscitisque Theologis, adhibitisque id genus alijs prudentibus viris, quod pium, sanctumque censuerint, id firmum, sanctumque de eorum sententia decernamus. Intereà ne quid noui à populo fieri, agiuè Parochi patiantur, mandamus. In quibus omnibus siquid ipsi negligentia peccauerint, pœnas arbitrio nostro luent.

De superstitionibus tollendis, & ne sanctorum res gestæ, & nocturnæ excubiæ, in templis, eorumuè cœmeterijs agantur.

CONSTITVTIO XXVI.

QVemadmodum antiquus humani generis hostis sæpè etiam pietatis, religionis, & charitatis specie, qui est illi præcipuus fallendi

fallendi modus, malum mortalibus afferre, eosque à mente deducens superstitionem imbuere consueuit, vt recta specie adumbrata ad impietatem, atque idololatriam facilius traducantur; ita Parochis omne prorsus studium est adhibendum, vt tum superstitiones, tum verò quæcunque ad eas spectare cognouerint, omnia funditus tollantur, ac radicitus euellantur: cuius generis pleraque sunt, quæ circa ægrotos, ac mortuos, nec non ad bestias sanandas à rudioribus hominibus, atque ab agrestibus obseruari, & ad vsum reuocari consueuerunt, & quæ in Classium regulis notata, perscriptaque sunt, & nonnulla etiam minus pia, ac religiosa, quæ à mulierculis sæpissimè fiunt. Quasdam insuper precationum formulas, bullas (breuia vulgus appellat) quæ de collo suspenduntur, characteribus, ac litteris ignotis, signis non probatis conscriptas, aut etiam in membrana, quam virginem vocant, descriptas, imagines, simulacra, figurasuè, annulos, & cætera eiusdem generis, certis, statutisque horis, ac diebus confecta ne fideles gestent, neuè penès se habeant Parochi operam danto, studiosèque cauento.

2 *Sanctorum ad hæc res gestæ, ac nocturnæ vigiliæ in Ecclesiis, vel sepulchretis ne agantur, omninò Parochi prohibento.*

Si quid contra conari, moliri vè, qui ex Paræcia sunt, fuerint ausi, Parochi, à celebratione diuinorum abstinento, & ad nos rem quàm primum deferunto.

Vbi tamen eiusmodi vigiliæ agi consueuerint, quò minus Ecclesiæ fores pateant vsque ad secundam noctis horam, ne vetanto: modò nonnulli sacerdotes, ac seniores Paræciæ viri in Ecclesiæ ipsius custodijs, tanquam in specula eo tempore sint collocati, vt eam sua ipsorum vigilia, ac prouidentia omni reddant offensione vacuam.

Si verò Ecclesia campestris sit, distetque ab eorum, qui ex Paræcia sunt, ædibus tria amplius passuum millia, cum secunda noctis abierit hora, maribus omnibus, qui octo amplius nati sint annos, foras exclusis, foribus verò diligenter clausis, nec cui omninò aut exitus, aut aditus patere possit, quo minus in Ecclesia fœminæ vigilias agant, Parochi ne prohibento

modò in ea neque potum capiant, neque cibum, neque religionis specie saltent, neque tale aliquid indecorè, effœminatèuè faciant.

Ne Parochi, cæterique Ecclesiarum præfecti permittant, vt in Ecclesijs altaria exædificentur, nè vè nouæ imagines pingantur, scalpanturuè, Episcopo inconsulto.

CONSTITVTIO XXVII.

Caueant Parochi, cæterique Ecclesiarum præfecti, nè nobis inconsultis miraculorum, vel pietatis specie simulata, in suis Paræcijs, & Ecclesiis nouæ pingantur, scalpanturuè imagines, altaria humo excitentur, sacellauè exædificentur. Quarum verò imaginum pingendarum, scalpendarumuè fuerit à nobis permissa licentia; monemus, dent operam, ne sacris scripturis, Ecclesiasticisuè historijs aduersentur: sed vt habitu, gestu, atque aspectu tales appareant, vt ijs aspiciendis pietas excitetur, ac religio. Fideles præterea moneantur, vt remotis ex priuatis ædibus turpibus, obscænisque picturis, prophanis, falsis, ac fabulosis gentium Dijs, sanctorum imagines, quæ ad pietatem mentes magnopere inflamment, pro eis reponant, locoque illustri statuāt.

Vt Parochi grande crucis signum in Ecclesijs erigant, nec permittant eius vexillum à laicis gestari, neque ipsius, vel sanctorum imagines pingi in locis immundis.

CONSTITVTIO XXVIII.

Docet Apostolus, nos oportere gloriari in Cruce Domini nostri Iesu Christi: nam Crux viuifica eum nobis ostendit, per quem saluati, & liberati sumus. Omne, igitur, nobis studium est adhibendum, vt, quem maximè decet, honorem illi tribuamus, eamque tum mente, tum corporis gestu piè, ac religiosè habeamus. Mandamus, itaque, omnibus Parochis, cæteris-

terisque, qui Ecclesiis præsunt, vt in sacris ædibus grande Crucis signum cum imagine Iesu Christi eidem affixi, aut etiam sine eiusmodi imagine ex vetusto nostræ Ciuitatis more, excelso, atque illustri loco positum, collocatumq; habeant. Nec patiantur, eius vexillum in supplicationibus, pompisuè, & mortuorum funeribus à laico præsertim infimę, atque abiectæ sortis homine gestari: sed à Clericis administris, acclitisuè habitu, qui eorum est, indutis: vel à laico quidem, sed veste, quæ ipsorum societatis sit, superinduto: neque aut in pauimentis, aut humi, aut super sepulchris, ac locis sordidis, immundis, & inhonestis vel illius ipsius Crucis signũ, vel sanctorum imagines pingi, scalpiuè, haberiuè permittant: ne indignè proterantur, ac conculcentur, sordibusque conspurcentur, ac fœdentur.

Vt Parochi curent, dies festos à populo colendos.

CONSTITVTIO XXVIIII.

DE *Maiestatis diuinæ, eiusque sanctorum honore solliciti grauiter dolemus, quòd non sine magno Catholicæ religionis contemptu corruptos quorundam Christianorum mores in dies magis videmus, qui auaritię æstu flagrantes vti profestis, sic festis diebus ita sordidis, vilibusque artibus, & operibus, quibus manus accedit, occupantur, vt festos ipsos dies nequaquam colant, sed polluant. Quo circa huiusmodi detestabili planè offensioni, mandamus, vt Parochi, quantum in se est, occurrant; hortenturque, ac moneant omnes sine exceptione, vt piè, ac religiosè, & omni cum honore, ac reuerentia festos eosdem dies, qui in nostra omni Diœcesi coli consueuerunt, colant, venerentur, ac celebrent, templa adeant, diuinis officijs intersint, Dei verbum attentè audiant, precibus, & obsecrationibus mentem in cœlum excitent, atque erigant, pęnitentię, & Eucharistiæ sacramentis animam recreent, ac reficiant, pietatis, ac charitatis studia in pauperes, ac carcere pressos exerceant. Si quis enim contra à primo diluculo ad primas tenebras hisce diebus, qui paullò post perscribentur, vel artem aliquam exercuerit, vel opus fecerit, officinamuè, tabernamuè pate-*

fe-

tefecerit, aut si quis eo etiam, quo quadraginta dierum solemne est ieiunium, tempore publicè carnes venales habuerit; Ecclesiæ aditu nos anteuertentes, ac tempus repræsentantes, prohibemus, & duorum aureorum nummûm, alterius apparitoribus, seù viatoribus addicendi, alterius verò in pauperes erogandi multa multamus.

Nundinæ quoque, ac mercatus, qui in Ciuitate, reliquaque nostra Diæcesi in diem festum cadent, mandamus, vt vel pridie, vel postridie eius diei peragantur. Proponimusque, si contra factum fuerit, arbitrij nostri pœnam. Qua etiam teneri volumus ioculatores, circulatores, comœdiarum actores omnes, qui illis ipsis diebus ante decantatam in Ecclesia vesperarum, quas vocant, psalmodiam, vel publicè, vel priuatim in ædibus artem suam exercuerint.

Vt vnusquisque fidelis Dominicis saltem diebus, & alijs eiusdem generis, qui ex Ecclesiæ præcepto sunt festi, Missæ sacrificio intersint, & mares seorsum à fœminis sint in Ecclesia.

CONSTITVTIO XXX.

PRæcipimus omnibus vtriusque sexus laicis, vt dominicis, cæterisque diebus ex Ecclesiæ præcepto festis in sua quisque Paræcia aut nostra Cathedraria Ecclesia, vel saltem in alijs sincera piaque animi attentione sacrosanctæ Missæ sacrificio non modò intersint, sed memores illius, Non apparebis in conspectu meo vacuus, Deo etiam aliquid offerant; diligenterque præterea curent, vt omnis ipsorum familia ad eandem audiendam accedat, quemadmodum omnes ex Ecclesiæ præcepto facere omninò debent. Quod si per tres continuos Dominicos dies Parochus compererit quenquam è sua Paræcia iusta caussa non impeditum tantam rem neglexisse (quam nec puellæ quidem septem annos natæ, nec viduæ ipsæ, quamuis recens maritis orbatæ, iure negligere possunt) nec fraterne monitum resipuisse, mandamus, vt eum Parochus ipse ad nos deferat. Ac ne populus huius rei ignorationem prætexere,

aut

aut caussari possit, volumus, vt Parochi sępe in anno, & dum rem diuinam faciunt, & dum populum sermone quasi concionantes instruunt, & vero etiam dum confitentes audiunt, suos ea de re moneant, in primisque curent, vt solemni quadraginta dierum Ieiunij tempore idem officij sacri concionatores prastent, populoque authores sint, vt dum sacra fiunt, & alia id genus diuina officia celebrantis, piè religiosè, & ea, qua decet reuerentia genibus nitantur, vno tantum, quo Euangeliū recitatur, tempore excepto; & vt viri aperto sint capite, fœminę verò cooperto, atque obnupto, & ab eis seorsum sint seiunctę, neque ad sacram aram tam prope accedant, vt sacerdoti rem diuinam facienti offensionem concitare, eiusdemque animo perturbationem afferre possint, neuè ante discedant, quam Euangelium fuerit recitatum, quod ad extremum recitari consueuit.

Pro foribus Ecclesiæ nemo stato, neque ad aquas, aut aspersionis, aut baptismi mancto, ueue altari cuipiam innititor. Si quis laicorum secus faxit, sacerdos à diuinorum, atque adeò à missę ipsius executione, nisi si canonem iam fuerit aggressus, abstineto, & ad nos peruicacem, neque dicto audientem deserto.

Quomodo in Ecclesia versandum sit pręcipuè dum diuinis opera nauatur; & ne quis vel inambulare, vel cum telo esse aut mendicare permittatur.

CONSTITVTIO XXXI.

Qvoniam in ecclesia Dei, quæ domus orationis vocatur, cum modestia, reuerentia, humilitate, ac pietate homines versari debent, quò pertinet illud, Domum Dei decet sanctitudo, ne vbi peccatorum venia est postulanda, ibi peccata ipsa perpetrentur; cumque illùc confluentes, aut orare debeant, aut clericos psallentes audire; eam ob rem hortamur, ac monemus omnes sine vlla exceptione, vt simul, atque in Ecclesiam fuerint ingressi, primum lustrali aqua se se aspergant: deinde genibus nixi pro sanctissimę eucharistiæ sacramento, vel, si minus ibi id asseruetur, pro ara maxima orent. Cęterum verò quandiu ibidem commoran-

morantur tandiu à prophanis colloquijs, inhonestique sermonibus, risu, ioco, clamore, & id genus alijs, quibus diuinam Maiestatem lædere, officia perturbare, atque interpellare, populo verò offensioni esse possunt, penitus abstineant. Sed qua docet pietate, ac religione, eo præsertim, quo diuina peraguntur, tempore se se gerant, neque altaribus, aut sacro baptismatis fonte, vel pilę lustralis aquæ innitantur, neque à sanctissimę Eucharistiæ sacramento stent auersi, sed ei aduersi: neq; mulieribus mixti maneant. Ab altari autem, vbi Missa celebratur, quatuor saltem passus absint.

Cauemus præterea, ne quis dum diuina officia peraguntur, ac Missarum sacra fiunt, vllo pacto audeat per Ecclesiam, neque solus, neque alteri coniunctus inambulare, neque esse cum telo, quod ex genere sit eorum, quæ prohibentur, qualia sunt tormenta bellica minora, atque hastæ. Si quis verò contra faxit, vbi primum deliquerit, duos ab ingressu Ecclesiæ menses arcebitur, si autem iterum eòdem fuerit relapsus, annum: quod si non paruerit, à fidelium communione seiungetur. Qui autem semel, atque iterum ea de re monitus tertio sanctionem hanc contempserit, aut neglexerit, præter excommunicationem, in quam incidet, si ex nostra diœcesi sit, vel in ea commoretur, 25. etiam aureorum nummûm multabitur multa, quæ delatori, apparitoribus, & his, qui pauperum curam gerunt æquis portionibus distribuetur. Vt autē facilius salutaris hæc constitutio seruetur, sanctæ obedientię vi, ac virtute, nec non Apostolica authoritate nobis demandata, præcipimus omnibus sine delectu, ac discrimine Parochis, proparochis, Ecclesiasticis custodibus, sacrarij præfectis, & cæteris denique sacrarum ædium in nostra Diœcesi, etiam regularium præpositis, nē, dum diuinis officiis opera datur, ac Missarum sacra peraguntur, quemquam patiantur in Ecclesiis spatia facere, siue inambulare, neue esse cum telo vetito, ac prohibito. Proponimusque pœnas pro nostro arbitrio irrogandas. Si verò contra à quoquam fiat; mandamus, vt, qua clericos decet, modestia eum moneant, vt abstineat: quòd si monitum minimè audientem fuerint experti; præcipimus, vt in diuinis cessent, & peruicacem ad nos deferant, vt iustis pœnis coerceatur, ac plectatur.

Volumus præterea, ne quem pauperum eo ipso tempore, dum diui-

diuina peraguntur, patiantur per Ecclesias obambulare ad stipem petendam, ac mendicandam: sed curent, vt ante fores præstoletur, ac maneat.

Ad hæc cauemus, ne tribus Hebdomadæ sanctæ diebus, dum serò nocturnę preces, atque officia decantantur, quemquam sibilare, tumultuari, clamare, & quasi mugire, & debacchari in ecclesiis permittant; sed curent, vt modeste, atque honeste pulsetur, idq; semel tantum, quemadmodum sancta parens Ecclesia præscribit. Quo circa declaramus, vt omnibus tàm clericis, qui hæc neglexerint, quàm laicis, qui non paruerint, nos facti serie pro veritate cognita, atque perspecta, lege hac, atque constitutione in eos acturos, atque animaduersuros, & delatori aut eius rei indicium facienti, cui testis oculatus accedat, fidem adhibituros.

Blasphemos, & maleficos procul à Parœciæ pastoribus amandos.

CONSTITVTIO XXXII.

Clamant diuinę litteræ, Domine maledicti erunt, qui contempserint te, & condemnati erunt, qui te blasphemauerint. Et rursus, Homo, qui domino Deo suo maledixerit, portabit peccatum suum, & qui maledixerit nomen domini, morietur, lapidibus operiet eum omnis populi multitudo, siue ciuis, siue peregrinus erit.

Vt, igitur, impura, ac incontaminata sceleratorum ora, quantum in nobis est, occludamus, diuinaque maiestas à tanta vindicetur iniuria, atque atrox immaneque blasphemiæ peccatum è ciuitate, atque adeo ex omni nostra Diœcesi exterminetur; præcipimus, vt Parochi sæpe in anno populum sibi commissum admoneant, qui sacrosanctam Dei nomine, Beatę virginis, ac sanctorum publicè vel blasphemare, execrarine ausus fuerit, vel in eorum imagines, ac salutiferæ crucis signum, quid inhonestum impiumuè fecerit, vel dixerit, si laicus fuerit, prę ter pœnas à legibus, sacrisq; constitutionibus id genus sceleratis hominibus propositas, Ecclesiæ præterea aditu eum arbitrio nostro prohibitum, ac nisi resipue-

rit à cętu, communioneque fidelium segregatum iri. Si verò clericus, vbi primum ciusmodi scelere se se adstrinxerit, beneficiū sui vectigalia, ac fructus, quos eum alioqui illo anno capere oportuit; interceptum iri. Si autem ad se non redierit, & eodem fuerit relapsus; beneficij vsu, atque vtilitate ad tempus prohibitum, & in carcerem, vt aqua tantum, ac pane vescens pœnitentiam peragat, ad nostrum arbitrium coniectum iri.

Qui porro omnium malorum authore, ac suasore impellente magicis pręstigijs, fascinationibusue, veneficijsue, cantionibusue, necnon astronomiæ, quæ scilicet de indicijs agit, ad hominum vitam, fortunamque pertinentibus, & id genus alijs diabolicis commentis operam dedisse fuerit conuictus; grauioribus in eum pœnis animaduersum iri, Parochi item, vt moneant iubemus. Ac si ad ea vel demones inuocauerit vel sanctissimo Eucharistiæ sacramento, aut aliquo alio fuerit abusus, idque ad maleficia perpetranda accomodauerit, magnetem baptizauerit, iuxta sacras leges, & Sixti Quincti constitutionem, alijsque pœnis pro sceleris magnitudine coercitum iri.

Eos etiam, qui libros scriptaque apud se habuerit, quæ talia contineant; ijsdem pœnis volumus teneri, si, vbi Parochum publica inter sacra solemnia monitione vsum esse nouerit; is intra quindecim dies omnia vel non combusserit, vel ad nos non attulerit, aut absolutionem nequaquam fuerit consecutus.

Qui in idem aliquod ex ipsis facinoribus fuerit relapsus, is quasi in religionis suspicionem vocatus, vt habeatur, mandamus.

Mulieres præterea æquè, ac viri grauiter se peccasse nouerint, si quē ciusmodi aliquo facinore, ac maleficio obstrictum sciant, eum vel ad nos, vel ad proprium Parochum continuò non detulerint.

Qui verò res amissas, vel ablatas recepturus, thesaurum defossurus, valetudinem recuperaturus, homini, vel quadrupedi noxæ, fraudiue futurus, fruges excantaturus, amorem sibi alteri verò odium conciliaturus, præstigiatores ipsos, magos veneficos, & alios ciusdem generis artifices adierint, eos sibi consiliarios adhibuerint, consiliumque ea in re secuti fuerint etiam si non expleuerint, neque eius fuerint facti compotes; eos nos ex nunc, prout ex tunc, vt pragmaticorum formula vtamur, à cammunione fidelium exter-

terminamus. Cui quidem noxæ non prius eximentur, quàm damna pro modo, ac ratione facta resarserint, ac præstiterint, & pœnitentię, quam nobis vnà cum absolutione reseruamus, cumulatè satisfecerint.

Parochi, igitur, vt huiuscemodi impia scelera è suę Parœciæ finibus exterminentur, atque extirpentur, funditusque tollantur in sacris confessionibus audiendis, ac concionibus habendis solertiam adhibento, operamque danto.

Vt Parochi dent operam, ne hęreses in Parœciis pullulent, ne vè scripta, quę hæresim vel sapiant, vel à bonis moribus abhorreant, imprimantur, venum exponantur, aut domi habeantur.

CONSTITVTIO XXXIII.

CVm vehementer Deo authore cupiamus, gregi nobis commisso quantum in nobis est, prospicere, atq; consulere, eumque à prauarum, & non catholicarum opinionum suspicione, ne dum ipsis opinionibus, liberum tueri, & ab iis, quæ mores peruertunt, ac perdunt, saluum, incolumenque præstare; eam ob rem Parochis mandamus, ac præcipimus, vt omnes, qui ipsorum fidei sunt commissi, cuius illi cunque fuerint vel sexus, vel ordinis, diligenter moneant, ne vlla hæreticorum scripta, librosuè, monumentauè, hæreses, ac prauas opiniones aduersus catholicam veritatem, Christianam fidem, ac religionem, peruersosuè mores continentia, sapientiauè, inprimis verò, ea, de quibus in cathalogo, elenchouè librorum prohibitorũ à Tridentina Synodo est cautum, habere, legere, adsensum comprobare, in eorumuè sententiam ire, edere, vendere, imprimere, imprimendauè curare vllo pacto audeant. Præsertim cum non ignorent, se in excommunicationis laqueos indui: ex quibus, qui id tale commiserint, expediri nequeant, nisi per summum Pontificem. Qui verò hæreticorum, quidem libros, sed qui tamen hæreses non contineant, aut alios alia caussa vetitos lectitauerint; quoniam excommunicationis vinculo se se obligauerint; ij sic habento, se eo à nobis ipsis tantum,

tum esse soluendos, prætereà nemine, idque in pœnitentiæ duntaxat iudicio, seù (si quis id malit) in foro conscientiæ, si occulte nimirum deliquerint. Quo circa præcipimus omnibus sacerdotibus, qui pœnitentes audiunt, vt id ne accidat, in primis præcaueant. Ad hæc vt assiduè populi conscientiam religione obstringant, vt si quos de hæresi suspectos nouerint, omni amoto metu eos liberè ad nos deferant: atque, vt Parochi ipsi idem faciant, arctius ipsorum conscientiam obligamus.

Cauemus prætereà, ne quis libros scriptauè cuius illa cunque fuerint generis typis excudat, excudendauè curet, nisi ea prius vel à nobis, vel ab ijs, quos ei rei præfecerimus, fuerint expensa, atque examinata, & chyrographo approbata, quorum librorum, scriptorumuè exemplum authoris manu subscriptum penes nos remanere volumus. Qui autem contra faxit, ei nos non modo pœna promponimus, quæ à sacro Lateranensi Concilio est constituta, sed aliam prætereà, quam nostro arbitrio reseruamus.

Monemus insuper bibliopolas omnes, cæterosque eiusdem generis homines, ne libros habeant venales absque nostra, vel eorum, quibus id negotij dederimus, inspectione, atque licentia. Proponimusque, si quis contra faxit, pœnam, librorum amissionem, ac iacturam, cum viginti aureorum nummûm multa. Eidemque pœnæ eos etiam subiicimus, qui in Ciuitatem, ac Diœcesim nostrã eius generis libros importauerint, domiuè apud se habuerint. Quin etiam hæredes, & eos, qui mortuorum testamenta, voluntatemque tueri, atq; exequi ex munere debent, qui intra octo dies à testatoris obitu, eiusmodi libros ad nos, vel ad eos, quos huic rei præposuerimus, non detulerint.

Ne sacræ scripturę verba ad prophana, & scurrilia torqueantur & de fidei professione sacris concionaturibus, Doctoribus, & ludi magistris facienda.

CONSTITVTIO XXXIIII.

STatuit sancta Tridentina Synodus ad multorum temeraritatem, irreuerentiamque tollendam, qui sacrarum litterarum

verba

verba ad prophana conuertunt, Episcopis diligenter esse prouidendum, vt tales verbi Dei corruptores, ac violatores tum iuris tum arbitrij pœnis coerceantur. Nos, igitur, in eius Synodi vestigijs insistentes prohibemus omnibus sine exceptione, ne sacrosanctæ scripturæ verba, sententiasuè ad scurrilia, fabulosa, iocosa, vana, inhonesta, prophana, vel ad maledicentiam, & dicteria, adulationemuè torqueant, atque conuertant: neque ad superstitiones, cantiones, diuinationes, & sortes, aut id genus alia illis vti vllo modo audeant. Qui contra faxit, præter iuris, quibus punietur, pœnas, totiès prætereà viginti aureorum nummûm multabitur multa, quoties deliquerit, ac pro delicti ratione, & modo secernetur à fidelium communione.

Iam verò, cum & ex eiusdem Synodi decreto, & ex Pij Quarti constitutione sit cautum de fidei professione facienda; eam ob rem nos mandamus, ac præcipimus omnibus, cuiusuis artis, ac facultatis doctoribus, ludimagistris, Pedagogis siue ij clerici sint, siue laici, qui fidei professionem se legitime fecisse non docuerint, vt intra duos menses, antequam, ad docendum, prælegendum aut publice, aut priuatim aggrediantur, eam ipsam fidem apud nos profiteantur, ac præseferant. Quam tamen si semel aliàs fuerint professi, nihil erit, cur iterum profiteantur; Proponimusque contrafacientibus præter eorum, quæ eadem Pij constitutio proponit, excommunicationis ferendæ, quam vocant, sententiæ præterea pœnam. In quam ne quis incidat, Parochi studiosè cauento.

Ne excommunicati Ecclesias ingrediantur, & ab illis dùm diuina officia celebrantur, arceantur, atque vt publicè absoluantur.

CONSTITVTIO XXXV.

CVm Apostolorum præcepto caueatur, ne quis cum publicè excommunicatis neque sermone congressum, neque cibum communicet, cumque sanctum sit, vt illi ab Ecclesia insuper arceantur, neque, dum diuina celebrantur officia, in ea adesse permittantur; nos

nos cupientes, vt Ecclesiastica disciplina retineatur, ac seruetur, offensionibusque occurratur, præcipue verò ijs, quæ ob communicationem cum eius generis hominibus ad animarum iacturam maxime spectant, & vt nonnullorum audacia, atque insolentia comprimatur, ac temeritas cohibeatur, qui pœnas tempore definitas, extimescunt magis, quàm æternas, cauemus, nè qui à fidelium communione publicè fuerint segregati, & anathemate vel per iudicis, vel per iuris sententiam obligatos esse, fuerint promulgati; cum diuina celebrantur officia, in Ecclesias ingrediantur, aut si fuerint ingressi, ibi morari, ne punctum quidem temporis audeãt. Proponimusque vel 25. aureorum nummũm multam, vel menstruam carceris pœnam. Quod si moniti, inde abire noluerint, aut ob ipsorum potentiam, vel temeritatem absque offensione, non potuerint expelli, mandamus, vt sacerdotes in diuinis cessent, eaq; inhibeant; Et si in Missa Canonis non dum factum fuerit initium, ab incepta Missa desistant, remque ad nos statim deferant, vt in eos tanquam in peruicaces, & ad bonam frugem se se recipere nolentes, ac velut de religione suspectos agere possimus, quemadmodum etiam in eos agemus, qui huiusmodi homines in Ecclesiis retinere fuerint conati, nec non in illos, qui obfirmato animo in excomunicatione permanserint. Qui tamen non alio modo absoluetur, nisi publicè, & in sua ipsorum Parœcia seruata iuris ratione, ac forma, vt habetur in codice sacerdotali; quæ quidem ratio, ac forma, vt ab omnibus, qui publicè animarum curationi præsunt, diligenter seruetur, mandamus. Atque vt quam primũ vincula, quibus animam alligatam habent, reuellantur; nos veterem constitutionem cuius initium est, Item ad reprimendum, innouantes, statuimus, vt, qui in excommunicatione vltra mensem perseuerauerit, in singulos menses, si laicus sit, vnius nummũm libræ multa, si verò Clericus, vel aliàs religiosus duplo multetur. Si autem sit Plebanus, aut Ecclesiasticam obtineat dignitatem, sancimus, vt in singulos item menses quadrupli condemnetur. Quas quidem pecunias in Ecclesiæ illius pauperes erogandas esse declaramus.

Mandamus præterea, vt Parochi ipsi populum suum diligenter moneant, ne cum eius generis hominibus, qui extra fines Ecclesiæ

sunt

sunt, consuetudinem habeant, nisi si vel iusta, vel rationi consentanea caussa subsit: tum, qui cum illis versantur, ipsi etiam minorem subeant excommunicationem.

Volumus denique, vt Parochi sexies in anno die festo, ac solemni inter sacra promulgationem iterent; atque finitimis suis Parochis, huiusmodi homines notos faciant, vt ibi alijs subinde facere possint, quò illorum consuetudo, ac conuictus penitus vitetur.

Si quis verò eorum mutato domicilio in aliam Parœciam commigrauerit, præcipimus, vt Parochus Parochum ea de re moneat, sic, vt excommunicatus notus, ac manifestus habeatur.

Ne Parochi in Parœcijs Apostatas commorari patiantur, nec eleemosynarum quæstores admittant.

CONSTITVTIO XXXVI.

QVàm improbum, quàmque peruersum sit genus hominum, qui suaui sui ordinis, atque instituti deiecto, atque repulso iugo, Deiq; honore post habito retrò respicientes quasi transfugæ deficiunt, atque desciscunt; Diuus Augustinus nos docet. Is n. Ex quo, inquit, Deo seruire cæpi, sicut difficilè sum expertus meliores homines, quàm qui in monasterio profecerunt; ita non sum deteriores expertus, quàm qui à monasterio recesserũt. Quam etiam odiosum in Ecclesia sit nomẽ eorum, qui eleemosynas quæritant, ob ipsorum abusum, qui offensionem parit, ac deprauatum morem; sacra Tridentina Synodus illis verbis disertissimè ostendit; cum inquit, horum malitiam ita quotidie magno fidelium omnium scandalo, & querela excrescere deprehendi, vt de eorum emendatione nulla spes amplius videatur relicta. Nos, igitur, vt Ciuitatem, ac Diœcesim nostram sartam, tectam, integramque ab isto hominum genere tueamur, ac conseruemus; mandamus, ac sanctæ obedientiæ vi, ac virtute Parochis omnibus, cæterisque Ecclesiasticis viris præcipimus vt si quem, etiam si monachorum cultu, vel alio ornatu sit indutus, qui suum ordinem, institutumque sit professus in Parœcijs commorari cognouerint, eũ ad nos deferant: vt an Apostata sit, suæuè religionis, atq; insti-

stituti desertor, videamus, in eumq; prò iure, animaduertamus. Quaestores verò eleemosynarum concionem, sermonémuè habere; indulgentias (eo enim vocabulo appellant) in medium afferre, ac diuulgare ne vllo modo patiantur, mandamus. Vt verò eleemosynas petant sine fuco, & fallacijs, eis fas esse permittent: modò stipis petendæ potestatem vel à nobis, vel à Vicario nostro chirographo factam, ac signo obsignatam perlegerint prius: non tamen per domos, nec per vias, sed in Ecclesia tantum, idq; modestè vt petant, sibi Parochi permittendum esse intelligant.

Vt publicos fœneratores Parochi ad Episcopum deferant, & quomodo quis fœnoris conuincatur.

CONSTITVTIO XXXVII.

CVm seruator noster Iesus Christus fœneratores è templo eiecerit, cumque Dauides Proph. canat, Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram; nobis disertè demonstratur, quàm inuisum Deo sit id hominum genus: nos, igitur Iesu Christi exemplum quantum humana imbecillitas fert, imitati, Parochis omnibus mandamus, diuini iudicij minis ad timorem propositis, vt vbi primum nouerint, aliquem publicè in Parœcia fœnerari, officiosè, atque paternè moneant, velit ab cœpta turpitudine desistere, & à rebus iniustè contrahendis abstinere, contractas verò rescindere, irritasque habere, & vsuras sibi pensas restituere. Quod quidem fœneratores omnes, vt faciant, mandamus, ac præcipimus, proposita excommunicationis, quæ latæ sententiæ dicitur, pœna. Quod si facere recusauerint; eos ad nos deferri volumus. Atque, vt facilius eiusmodi contractæ res, fœneratoresq; deprehendantur, sancimus, vt fœnerator vnico oculato teste, idest, qui præsens fuerit, viderit que, viro bono, qui bene audiat, famaque ipsa, cui tres testimonium dent, eius turpitudinis conuincatur.

Quatuor item testibus, quibus pecunia fœnori sit data, & fama ipsa, cui tres item testimonium dent, volumus conuinci posse: modò testes ipsi denuncient, ac contestentur, nullum se ex suo testimonio, neque commodum, neque lucrum spectare, aut illò animum in-

intendere planum faciant.

Confessione præterea extra iudicium, qua fænerator duobus, locupletibus testibus præsentibus fœnus patefecerit (modo eorum alter spectator fuerit, eique fama accedat eodem, quo dictum est, modo) volumus, vt conuincatur. Quibus ita dictis testimonijs, omnia illius, in quem dicta fuerint, mutua, irrita, nullaque esse declaramus: persecuturi tamen eundem indicio, actiones tum Ciuiles, tum capitales ei intendendo. Ac, si cumulatissime eius criminis fuerit conuictus; illis ipsis etiam actionibus, quæ aduersus eiusmodi homines à sacris dantur constitutionibus.

Quo nam modo publici fœneratores, cum vitæ periculum imminet, Parochis sint absoluendi.

CONSTITVTIO XXXVIII.

QVoniam fænerationis nomine famosi, quique malum rumorem collegerunt, non nisi fænore, rebusque malè partis ei restitutis, cui illas extorserint, atque eripuerint, vel nisi de satisfaciendo rectè cauerint, absolui possunt, iuxta decretum Concilij Lugdunensis, quod ob omnibus nostræ Diæcesis sacerdotibus, diligentissimè seruari volumus; eam ob rem eisdem mandamus, ne prius manifestum fæneratorem absoluant, quàm codicem (siquem in eiusmodi habuerit vsum) in quem fænera fuerint relata, sibi tradendum, & vel illorum, quorum intersit, vel nostro nomine præsentibus locupletibus, integrisque testibus fænora receperint, vel pignore, aut aliqua alia satisdatione cauendum curauerint, pecuniarum summam inique extortam, ab ipso fæneratore vel eius hærede, si ille mortuus fuerit, nobis, vel nostro Vicario, aut Parocho tres, quatuorue intra menses assignandam, vt ijs qui fænori sumpserint, restituatur.

Si verò codicem nequaquam habuerit, nec pecuniæ summã meminerit, neque in memoriam redierit eorum, quibus fænori dederit; nobis vel Parocho, vel sacerdoti illi, qui ipsum pœnitentem audierit, pecuniæ ipsius numerum æstimandum permittat; publicis confectis eius rei per tabellionem monumentis: vt rebus omni-

bus diligenter expensis, atque examinatis, habitaque temporis præsertim, ac loci, quo is fœnus exercuerit, ratione, spectataque personarum, extorsionisque improbitate, alijsque animaduersis, quæ animaduersione digna esse visa fuerint, suum vnicuique restituere, aut si minus quorum interest, reperiantur, in egenos erogare possimus.

Quod si Diabolico afflatus spiritu, vel fœnus confiteri, vel restituere, vel illud, quanti intersit, æstimandum permittere recusauerit; omnium sacramentorum hunc omninò expertem esse, atque Ecclesiasticæ sepulturæ bonore carere volumus, testamentum verò, si condiderit, irritum, infirmum, nullumq; esse declaramus.

Omnes præterea monemus, nè talium fœneratorum testamento faciendo adsint, nisi vel de vsuris satisfecerint, vel de ipsis rectè, vt paullo antè dictum est, cauerint. Parochis verò præcipimus, nè eos admittant ad confessionem.

Vt Parochi ad consecrationem fontis Baptismatis conficiendam suam Plebaniam nostræ Diœcesis terminis circumscriptam accedant, ac de illius aqua renouanda, atque asseruanda.

CONSTITVTIO XXXVIIII.

M*Andamus omnibus sacerdotibus, qui ad Babptismatis fontis consecrationem peragendam die magni Sabbathi, vel Pentecostes ex iure, consuetudinenè conuenire debent, vt ad suam Plebaniam, vel alienam Ecclesiam, quæ Apostolicæ Sedis, aut eorum, quibus nos suffecti fuimus, aut veteris, quæ centum amplius sit annorum, consuetudinis priuilegio gaudet, omninò conueniant, atque accedant. Contra si faxint, quotiescunque faxint, toties dimidij aurei nummi multa non modò multari, sed à diuinorum tractatione, functioneque quandiù nobis videbitur, volumus abstinere. Vnas excipimus, tum Ecclesias, tum earum prefectos, quæ cum Piscienſi Ecclesia ab Episcopatus, ac Diœcesis nostræ coniunctione (vt nunc quidem est) Leonis Decimi priuilegio secretę sunt. Quas nihilominus proximiori Ecclesię sacro fon-*

te insignitæ, & nostræ Diœcesis terminis, ac cancellis circumscriptæ in eo tantum genere subiectas esse intelligendum est.

Monitos autem volumus ipsarum præfectos, cæterosque omnes, qui fontem vel ex priuilegio, vel consuetudine suis in Ecclesiis consecrant, vt ritus, ac ceremonias, quæ in recenti; ac nouo Missarum codice præscribuntur, quàm diligentissimè seruent, atque ad vsum reuocent: neque pauciores quinque sacerdotes eam rem peragant. Illa verò absoluta, ciboque parabili, frugalique capto, vt in classium regulis cauetur, ad suas statim Ecclesias præcipimus, vt recurrant, prouisuri, ac paraturi, quæ tum ad insequens Pascha celebrandum, tum verò ad sacram Eucharistiam populo porrigendam necessaria esse videbuntur.

Aquam autem Baptismatis, qui Sabbatho ipso magno consecrare, quot quot annis, atque instaurare consueuerunt; mandamus, vt eo ipso die, non autem Pentecostes, eam rem curent. Contra nàmque facientes, grauiter punientur. Veterem verò sancimus, vt in sacram Cloacam infundant. Quæ verò est consecranda, tanta esto, quanta, toto anno abundè suppeditare possit ad Baptismatis vsum: & in marmorea pila, cuius os læuigato, ac decenti ligneo cooperculo, serico panno strato, claueque firmato, occludatur asseruator.

Quæ si deficiat, alia, minoris tamen numeri, superinfunditor. In Ecclesia porrò, vbi aquæ consecratio non conficitur, Ecclesiæ ipsius præfectus eam à sua Plebano, non à quoquam alio accipito, & in stanneum vas in eum tantum paratum vsum, ac bene purgatum, infusam absque aliis cerimoniis in pila Baptismatis collocato, ibique diligenter asseruato.

De Baptismo, & quomodo, & à quibus sit tribuendus.

CONSTITVTIO XXXX.

CVm per Baptismum, quasi per scalas ascensus in cælum aditusque aperiatur, idemque sit ad omnia sacramenta quoddam quasi vestibulum, eam ob rem sacerdotes monemus, vt in eo administrando, mirifica vigilantia sint, ac diligentia, ne ipsorum incuria vllus sine baptismate è vita discedat. Mandamus

mus etiam, vt, quæcunque ad eiusmodi sacramentum tribuendum necessaria sunt, assiduè in promptu, parata, expeditaque habeant, baptizzandique formulam memoria teneant, cum non semper sit spatium ad librum consulendum: quem tamen si ad eam rem spatium fuerit, à sacerdotibus sumi volumus.

Mandamus prætereà, vt populum sæpe in anno moneant, quemadmodum, si necessitas non cogat, laicis tàm maribus, quàm fœminis infantes baptizzandi ius non esse permissum absque lethali peccato, sic contra ea cogente, grauiter, lethaliterquè peccare, si id officij præstare omiserint.

Cogere autem necessitas tunc intelligitur, cum sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi vel Clerici, non datur facultas, & infantis vitę periculum impendet, neque ad Ecclesiam eum deferri est in integro. Ritus tamen Ecclesiæ, non autem solemnes cærimonię seruandi sunt. Nam elementaris aqua in caput infantis infundenda est, & hæc verba, ei qui baptizzat, attentè enuncianda, cui etiam id efficere propositum esse debet, quod Ecclesia Catholica in eo administrationis genere, efficit. Verba autem eiusmodi sunto. N. Io ti battezze in nome del Padre, del Figliuolo, & dello Spirito Santo.

Quę quidem verba, quò obstreticibus rectè, articulatèque recitentur (vulgari nè, an latino sermone nihil refert) & memoria comprehendantur, mandamus Parochis, vt illa sæpè in anno obstreticibus ipsis recitanda curent.

Est autem ea in re cautio adhibenda: mulier enim Baptismi administrationem sibi sumere non debet, si mas adsit, qui verborum formulam calleat, contra, si ignoret.

Si quando sacerdoti incertum fuerit, an infans baptizzatus sit, nec ne, quemadmodum de ijs, qui exponuntur, sæpius contingit; is eam habebit cautionem, vt ante, quàm infantem abluat, ita verba concipiat. N. si non es baptizzatus, vel baptizzata, ego te baptizzo. Si autem Sacramentum infanti domi fuerit administratum; omissis cærimonijs quibus sacerdotibus, & Diaconis tantum prætereà nemini, vti ius, fasque est; is ad Ecclesiam deferendus est, & solemnibus cærimonijs abluendus, quemadmodum in codice cauetur, quem Cathecumenum, seu Rituale vocant,

quo

quo quidem codice, mandamus omnibus, qui publicè Paræciarum curationi sunt præpositi, vt ad omnia sacramenta administranda vtantur, eumque tanquam ducem omninò sequantur.

Sacerdotibus prætereà non est ignorandum, veros, ac legitimos susceptores, sponsoresuè, seu fidei iussores, quos patrinos vocant, illos esse, qui domi infantem tenuerint, ac susceperint: neq; cum infans ad Ecclesiam defertur, alios esse adhibeudos.

Cauemus ad hæc, ne quis sacerdos linteola, quibus baptizzati exterguntur, in rem suam, sed in Ecclesiæ vsum conuertat.

Vt Parochi infantes in Ecclesijs baptizzent, nec patiantur diutius, quàm tres dies sine baptismo esse.

CONSTITVTIO XXXXI.

CVm baptismi administrandi munus, præcipuum sit sacerdotis qui proprius sit Parochus, idque in Ecclesiis tantum, nisi necessitas cogat, administrari debeat; eam ob rem vi, ac virtute sanctæ obedientiæ, sacerdotibus, cæterisque omnibus sine exceptione prohibemus, ne quem domi, neque in sacellis baptizzare audeant, nisi ex apertissimis signis collegerint, infantem in vita discrimine versari. Iisdem prætereà mandamus, ne infantes sacramenti gratia carere diutius, quàm triduum patiantur: caueant que, ne barbarorum nomina, turpiauè, incoguitauè eis imponantur. Ad hæc nè quem sacerdos vllus absque Parochi permissu, ac venia baptismo initiet, necessitate non cogente. Qui contra faxit, is sciat, se ea pæna obstrictum iri, qua diuinorum tractatio, ac functio interdicitur.

Vt Parochi baptizzatorum, eorumque susceptorum nomina in codicem referant.

CONSTITVTIO XXXXII.

VT offensiones, quæ quotidie nascuntur, cum ob ætatis, de qua sæpe contingit, ut quæratur, tum ob spiritualis cognationis igno-

ignorationem, vitentur; præcipimus omnibus animarum curationi præpositis, vt baptismo initiatorum nomina in codicem referant, qui in eum tantum vsum sit paratus, & simul diem mensem, atque annum, quo quisque fuerit initiatus: is autem constet tribus, vel quatuor foliorum quadernionibus cum litterarum serie: Si quis verò id facere omiserit, nulla excusatione accepta, etiam si æditituos seu (si quis id malit) operarios, quatenus ad ipsos pertineat, codicem emere recusasse fuerit caussatus, & à diuinorum tractatione, ac functione mensem interdicetur, & trium aureorum nummûm multabitur multa.

Si verò filios, vel pluribus, quàm duobus, ad summum sponsoribus, mare altero, altera fœmina infantem sacro fonte suscipi permiserit; eadem ei tum pęna irrogabitur, tum multa.

Mandamus præterea nè sponsores admittant, qui decimum octauum annum non dum agant, quique eo anno semel saltem peccata sacerdoti confessi non fuerint, & communicauerint; aut sint vel excommunicati, vel interdicti, aut tales, quales in classium regulis enumerantur, quique precationis Dominicæ, atque Angelicæ formulam, fidei Symbolum, & Decalogum non calleant, ac memoriter pronuncient.

Quæ omnia cum in sacramento confirmationis aliquem suscipient, pro ratione, & modo seruanda mandamus.

Susceptores enim ea lege tenentur, vt parentibus eorum quos susceperint, mortuis huiusmodi spirituales filios perpetuò commendatos habeant; &, quæ ad salutem necessaria sunt, eosdem studiosè doceant.

Volumus prætereà, vt quibus baptizzandi munus demandatum est; ij tum susceptores, tum cæteros omnes, qui adfuerint, eo modo moneant, atque hortentur, qui in libello vulgari sermone conscripto, à nobisque in lucem edito, præscribitur.

Vt Baptismus, cæteraque sacramenta gratis omnia administrentur.

CONSTITVTIO XXXXIII.

CVm, quæ gratis à Deo accepimus, hac lege obstricti sumus, vt eadem gratis alijs concedamus, gratuitaque dispensatione proximis nostris Iesu Christi dona tribuamus, eam ob rem ad omnem non modo labem, sed etiam suspicionem simoniacam tollendam, apertissimè præcipimus omnibus sine vlla prorsus exceptione sacerdotibus, ne pro Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ Extremæ vnctionis, ac Matrimonij dispensatione, quicquam neque petere, neque exigere audeant. Proponimusque contra facientibus excommunicationis, quam sacræ proponunt constitutiones, seù (si quis id malit) latæ setentiæ, vel Canonis, & munerum, ac beneficiorum priuationis, vel tempore definitæ, vel perpetuæ, proculpæ scilicet magnitudine. Si quid verò post eorum administrationem sponte, atque vltro, non ex debito, sed ex voto eis ab aliquo gratis deferatur; quò minus sacerdotes accipiant, non prohibemus; Qui.n. altari seruit, de altare viuere debet, &, vt ait scriptura, Non est alligandum os boui trituranti, &, Dignus est mercennarius mercede sua: modo nec verbo, nec signo, aut nutu petiisse perspicuum sit: omninò enim gratis, nec vlla proposita vel compensationis, vel premij spe sacramenta ipsa animo prompto, atque alacri administrari debent.

Vt vrbani Parochi, & qui ex veteri consuetudine ad conficiendum sanctum Chrisma conuenire debent, statuta die, atq; hora ad Ecclesiam Cathedrariam accedant.

CONSTITVTIO XXXXIIII.

QVoniam persæpè contingit, vt, qui Dominicæ cœnę die in nostra Cathedraria Ecclesia sancto Chrismati conficiendo adesse debent, illûc aut non conueniant, aut serò, vel sibi ipsi ea in re eiusmodi dent vicarios, qui tum cantus, tum

I verò

verò cærimoniarum sunt expertes, ignarique omnium; ex quo fit, vt Ecclesiæ perturbetur ordo; eam ob rem monemus omnes sine vlla exceptione clericos, qui ea lege obstricti sunt, vt eidem conficiendo Sacramento adsint, quotannis, hora à sacrarij Ecclesię nostræ custode, dicta, ac præstituta eò vel ipsi coeant, vel alium ad eam rem idoneum in suum locum substituant, deniq; curent, ut tum quo ad cantum, tum quo ad cærimonias attinet, eos e præstent, vt ipsorum officium à nullo meritò desiderari possit. Secus qui faxit, huic à nobis arbitraria multa dicetur.

Vt Parochi vnumquodq; sacrosancti olei genus accepturi, vel ipsi veniant, vel subdiaconum saltem mittant, & de eisdem Sacramentis instaurandis, ac conseruandis.

CONSTITVTIO XXXXV.

IRreligiosum sanè est, nec periculo vacat, sacramenta, quæ Ecclesiis, vt vetera instaurentur, ac renouentur, quotquot annis tribuuntur, à laicis præsertim agrestibus, & vitæ fortassè etiam flagitiosæ in vasculis non obsignatis deferri. Nos, igitur, cupientes, malam consuetudinem immutare sancimus, ac sanctæ obedientiæ vi, ac virtute præcipimus, vt Parochi vel ipsi veniant, vel si iusta caussa fuerint impediti, mandamus, vt vna quæque Classis vnum ex suis sacerdotibus aliquem vicissim mittant cum vniuersorum vasculis, aut saltem Subdiaconum ornatu, qui Clericorum est, indutum. Proponimusq; trium aureorum nummûm multam, toties irrogandam, quotiescunque à sanctione hac nostra fuerit discessum.

Vascula autem ex argento, vel ex stanno volumus constare, & thecis ligneis, vel coriaceis de nostræ Diœcesis more, quibus etiam clauis accedat, munita esse, munda, ac tersaque, conseruari. Si verò sacrarij custos, qui hisce Sacramentis distribuendis præest, ea laicis, clericisuè deferenda, atque in vrceolis vitreis, sordidis, vitiosis, thecis, & claue non munitis, atque obsignatis dederit;

vnius

vnius aurei nummi multa ei toties dicetur, quoties ea in re peccauerit.

Parochi item illi, qui alijs Ecclesiis ea distribuere debent; nisi hac cauerint, eadem met plectentur pœna.

Mandamus autem, vt Chrisma, & Cathecumenorum oleum in argenteo vasculo, quod binis loculis sit distinctum; ægrotorum verò alio in vase asseruetur: atque vt vas vtrunque sericis integumentis inuoluatur, decentique Ecclesię loco reponatur: cum autem contigerit, vt sacramenta administranda sint; eum volumus seruari modum, qui infra statuetur constitutione. 54.

Omnibus præterea præcipimus, vt sacramenta ipsa quot annis, magno Paschalium Sabbatho renouent, atque instaurent, vetera verò in lampades comburenda infundant: quibus combustis lampades diligenter lauent, lotionem verò in sacram Cloacam profundant. Si quis autem post illud diei vel ipse illis fuerit vsus, vel alijs abutenda concesserit; is sciat, grauiter à nobis in se animaduersum iri.

Ne Sabbathi Sancti mane ęnea instrumenta, quas Campanas vulgò vocant, in Ciuitate prius vsquam locorum pulsentur, quàm ad Cathedrariam; in Diœcesi verò non ante, quàm ad matricem Ecclesiam fuerint pulsata.

CONSTITVTIO XXXXVI.

VT eorum vestigia persequamur; quorum in locum fuimus suffecti; statuimus, atque sancimus, ne quis Sabbathi Sancti die quamlibet ob caussam in Ciuitate aera pulsare audeat prius, quàm ad Cathedrariam Ecclesiam pulsentur. Extra Ciuitatem verò vbique locorum nostræ Diœcesis non ante, quàm ad Ecclesiam matricem. Proponimusque trium aureorum nummûm multam tum prępositis Ecclesiarum, tum verò laicis, qui vel ipsi contra faxint, vel alios contra facere permiserint.

Tertiam autem multæ partem ei, qui detulerit, addici, reliquum verò Sacris locis attribui volumus.

Atque, vt omnia Romanæ Ecclesiæ ritibus, tum in Ciuitate, tum verò in Diœcesi sint consentanea, mandamus, ne vbi Dominicæ Cœnæ die inter sacra solemnia post illud, Gloria in excelsis Deo, æra ipsa fuerint pulsata, antè Sabbathi sancti diem, vt dictum est, amplius pulsentur.

Ad hęc ipsis Ecclesiarum præfectis edicimus sanctæ obedientiæ vi, ac virtute, vt vbi fulgura, ac tonitrua, calamitatē, tēpestatemq; minantur, æra pulsanda curent: ijs tantum exceptis diebus, qui proximè sunt commemorati, cum enim Deo dicata, ac consecrata sint, pie credendum est, salutare esse remedium ad Dæmones, qui huiusmodi tempestatem plerunque excitant, ex aeris regione expellendos, ac fugandos.

Caueant prętereà, ne vllo pacto ad multitudinem conuocandam, vt Choreæ scilicet ducantur, vanauè, lasciuiauè exerceātur, pulsent genialibus præsertim diebus. Secus si faxint, vnius aurei nummi multa multabuntur. Quod si æra rupta fuerint; eorum, qui nostris constitutionibus non paruerint, sumptibus id damni præstabitur. Si verò Ecclesiæ præfectus ea in re vel conniuerit, vel eam per miserit, dimidia sumptuum pœna coercebitur.

De confirmatione, puerisque confirmandis, eorumq; nominibus & susceptorum in codicem referendis.

CONSTITVTIO XXXXVII.

QVoniam confirmationis Sacramentum ad confitendum Iesu Christi nomen, pro eius amore pugnandum, ad communis hostis, eiusdemque tentationibus, ac sollicitationibus, occurrendum Christi athletas fortiores reddit; eam ob rem Parochi de huius vsu, atque effectu populum assiduè monere debent; &, quemadmodum pueris maximè est salutare, si illud septennio maiores, susceperint; ita illud vel diutius differre, vel negligere, maximè cum periculo esse coniunctum. Parochis autem ipsis maximè auctores sumus, curent, vt pueri sint confirmati ante, quàm ad Eucharistiam sumendam admittantur.

Illud verò monere oportet, qui pueros confirmandos suscipiunt, ean-

tandem ab ipsis cum pueris illis, illorumque parentibus spiritualem affinitatem contrahi, ac si eosdem de sacro fonte suscepissent. Præterea nemini, qui non sit confirmatus, neque peccata sacerdoti co ipso anno sit confessus, neque sacram Eucharistiam sumpserit, vel fuerit excommunicatus, & præcationem Dominicam, ac salutationem Angelicam, Sybolum, Decalogumque ignorauerit, neq; ad decimum octauum annum natus fuerit, quemquam suscipere fas esse: nec maribus fœminas, neque fœminis mares, nec adolescentibus senes, nisi ipsa necessitas cogat.

Iisdem præterea Parochis mandamus, diligentia, qua maiori possunt, curent, vt eorum, qui confirmati fuerint, nec non eorum, qui confirmatos susceperint, nomina, ac cognomina in codicem, qui in eam sit vsum, tribus à Sacramento tributo diebus referant, ascribantque diei, mensis, atque anni, quo quisque confirmatus fuerit, memoriam, vt in matrimonijs contrahendis, vitentur facilius offensiones.

Vt Parochi in sanctissima Eucharistia asseruanda diligentiam adhibeant, & de quadraginta horurum oratione.

CONSTITVTIO XXXXVIII.

SAnctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quo nihil præstantiùs, excellentiùs, præclariusuè esse potest, cum in ipso non solum diuina gratia, sed ipse omnium gratiarum, & charismatum fons, Iesus Christus, Dei filius, ac redeptor noster contineatur, in omnibus Ecclesiis quę animarum curandarum munus sustinent, non autem in sacellis, quæ sunt intra sacrarum virginum, sororumuè septa, habendū, & in pixide aurea, vel argentea, aut decenti sacro linteo, eoq; candido intrinsecùs ornata, & in loculamento, quod tabernaculum vulgò vocant, inaurato, vel picto, intrinsecùs verò serico ornato, clauique firmato (in quo nec sacrum oleum, nec sanctorum reliquiæ sint) serico conopæo tecto, & superaltari maximo statuto diligentissimè asseruandum esse mandamus: præcipimusque, caueant Parochi, ne vel loculamentum ipsum rimas agat, vel ipsius ostiolum sit perforatum.

Præ-

Præterea ut singulis mensibus ter saltem Sacramentum ipsum, priori in missæ sacrificio absumpto unà cum frustulis, ac fragmentis si in vase reperiantur, renouentur atq; instauretur: ac pro eius loculamento una saltem lampas perpetuò, ac sempiternò ardens conseruetur.

Dent Parochi præterea diligenter operam, ut semel saltem in in anno quadraginta horarũ præcatio ante sanctissimum Sacramentum de loculamento exemptum, ac circum Ecclesiam in pompa, atque ordine, seù (si quis id malit) in processione delatum (quam non solum cum exponitur, sed etiam cum reponitur, adhibendam mandamus) à cuncto populo ex pio, ac religioso instituto peragatur, more maiorum. Ad eamque peragendam volumus, ut fœminæ ab ortu ad occasum diei, mares verò noctu conueniant statis horis.

Vt Parochi asiduè populum hortentur ad Eucharistiam frequentissimè sumendam, &, quæ in ea administranda; præsertim cum defertur ad ægrotos, sint cauenda.

CONSTITVTIO XXXXIX.

QVoniam ex nonnullorum, qui publicè animarum curationi præsunt, negligentia euenire dubitamus, ut laici, maximè verò ij, qui in aliquam societatem, quam vulgò confraternitatem vocant, sunt cooptati, ea lege teneantur, ut sæpe in anno sacram Eucharistiam sumant, uel rarò, uel semel duntaxat id faciant; eam ob rem Parochis omnibus sanctæ obedientiæ vi, ac virtute mandamus, ut singuli inter sacra, cum fideles ad rem diuinam conuenerint, & eis Euangelium interpretabuntur, occasionem nacti eosdem cohortentur, ut sæpe, uel festis saltem diebus, aut qui in aliqua sunt societate, ex ipsius consuetudine, ac legibus, animam reficiant, ac recreent, & aduersus communis hostis nequitiam, hoc præstantissimo, ac saluberrimo Sacramento muniãt. Nihil.n. salubrius, quis facere poterit, quàm si in suis angustijs, ac calamitatibus sacerdoti prius peccata confessus, ad hoc salutare

Sacramentum confugerit, quo Deo reconciliamur, eiusdem gratiam assequimur, & cohæredes regni cælestis in Christo efficimur.

Mandamus præterea, dent operam Parochi, ut mares seorsum à fœminis, aut saltem non promiscuè cum illis, dum communicant, ante altare sint, atque ut uiri illuc accedant inermes, eo verò ornatu, qui ipsorum humilitatem, animique demissionem ostendat: fœminæ autem ut uelo, aut aliquo eius generis panno tum caput, tum frontem obnubant, tum uerò pectus strophio cingant ad papillarum tumorem cohibendum, quò religionem, pietatem, ac pudicitiam præseferant.

Sancimus ad hæc, ut unusquisque Parochus pixidem, uel uas, cum operculo ea, qua proximè dictum est, habeat, forma, idque argenteum, aut æreum quidem, sed inauratum, undè Sacramentum populo præbere tutò possit, ac uas etiam uel argenteum, uel christallinum, diuersa tamen à Calicibus forma, in purificationis usum. Illud autem in sacrario, capsula inclusum, non alibi asseruandum mandamus.

Pueris, qui rationis usum non dum habent, neque de illius essentia, uirtute, atque effectu, ut habetur in Christianæ doctrinæ libello, prius fuerint edocti, Sacramentum ipsum ne administranto.

At cum uel malè, uel bene ualentibus erit administrandum, nihil eorum, quæ in Classium regulis præscripta sunt, prætermittunto: sed omnia diligenter seruanto, studiosè agunto.

Populum insuper docento, æquè mares, ac fœminas, modò ad iustam peruenerint ætatem, hoc est vsum rationis habeant, ea lege teneri, vt semel, minimum singulis annis, in Paschalibus sacrosanctum Domini Corpus sumant: qui verò id facere neglexerint, eos non solum Ecclesiæ aditu prohibendos: sed etiam etiam postea quam tribus diebus festis, qui post Pascha perpetuà serie insequentur, dum sacra peraguntur, publicè, ac generatim fuerint moniti, pro abstentis, quos Cyprianus appellauit, excommunicatisuè, ni pareant, habendos: ac, si annum in sententia permanserint, de religione suspectos putandos.

Coniuges præterea docento, piè se, religioseque facturos, si per tres dies, vel vigintiquatuor saltem horas tùm ante, tùm post sanctissimæ Eucharistiæ perceptionē ob officio matrimonij abstineant.

Eucha-

Eucharistiæ extra propriam cuiusque paræciam percipiendæ nemini, nisi iustissima, ac grauissima caussa id postulet, Parochi potestatem faciunto.

Si verò eiusmodi caussa cogente alicui potestatem fecerint; illius postea Parochi, qui huic Sacramentum administrauerit, testimonij chirographum sibi exibendum curanto: ni ita fuerit exhibitum, hunc in eorum numero, qui non communicauerint, ponunto.

Ægrotos autem, qui alieno sacerdoti cuius ille cunque fuerit ordinis, siue secularis, siuè regularis, vt vocant, peccata fuerint confessi, sanctissimo viatico ne prosequuntor, nisi eius, qui confessionem audierit, prius testimonij chirographum viderit.

Hic autem Parochos hortamur, ne facilè eos ad Eucharistiam percipiendam admittant, qui proxime in Paræciam commigrauerint, præsertim si sibi non sint noti, nisi illius, vnde proxime discesserint, Parochi fidem, quod ad mores, & vitam pertinet, exhibuerint.

Cum verò contigerit, vt ad ægrotos ipsos Sacramentum deferendum sit; tunc vel in pixide, vel in vase tecto lato serico, quod de sacerdotis humeris pendeat, tutò, ac reuerenter sub vmbraculo à sacerdote ipso deferatur, qui linea veste (super pellicium uulgo uocant) stola, ac pallio, quod pluuiale appellant (si tamen non incõmode fieri queat) sit superindutus, pluribus prælatis luminibus, laterna magna, ac tintinnabulo; atq; is quidẽ sacerdos, duas (quod commodè facere possit) Sacramenti partes secum deferto) quorũ alteram ad Ecclesiam eodem, quo dictum est, ordine referto. Secus si contigerit; extinctis luminibus, nec tintinnabulo pulsato, modestè tamen ad Ecclesiam redito.

Socios, quos confratres vocant, cæterosque, qui Sacramentum fuerint comitati, de indulgentijs, remissionibusuè culparum eis pro ratione ob eiusmodi pietatis officium concessis moneto.

Cæterum ęgroti propinquos præmoneto, vt domum, in primis verò locum, vbi ægrotus ipse iaceat, à sordibus purgent, ibidemque abacum pro viribus ornatum statuant, cum duobus cereis super candelábro ardentibus, & cum aqua in vase ad manus lauandas.

Ægrotos ipsos, cum in vita versabuntur discrimine, semel tantum in vna, eademque ægrotatione sanctissimo viatico prosequuntor,

tor, ac preces, quæ in sacerdotali codice præscribuntur, adhibento.

Vt autem Sacramentum eo, quo decet piorum virorum comitatu deferatur; quisque Parochus, vbi Corporis Christi societas, confraternitasuè non fuerit, omni studio eam instituant, curentq; vt, cum Sacramentum ipsum erit ad ęgrotos deferendum, sociorũ pars, certo æris constituto signo coeant, ac conueniant, illud comitaturi: ac psalmos, hymnos, precesque alias recitantes, Deum pro ægroti salute, quæ tum corpus, tum animam spectat, piè religioséque precentur.

Quibus de caussis ab Eucharistia percipienda fidelibus sit abstinendum, & quamobrem debeant exscusari.

CONSTITVTIO L.

NE ob nimiam sacerdotum facilitatem, aut imperitiam laicis peccandi materia præbeatur, atque vt ij, qui pœnitentium confessiones audiunt, nouerint, quænam iustæ sint caussæ, quamobrem eis ab Eucharistia sumenda abstinendum sit; hic nonnullas exempli gratia subijciemus, ex quibus industrius, prudensque Parochus facilè colliget, num, quas ipsi laici attulerint sint rationi consentaneæ, & in ea re exscusari meritò possint, nec ne.

Qui, igitur, ea fuerit ob ægrotationem stomachi imbellicitate, vt verendum sit, ne, si Sacramentum sumat, ei nausea excitetur; exscusandus erit. Mente item captus, necnon Gonorrhæus: his accedit ille, de quo sacerdos vereatur, ne statim in peccatum relabatur, item qui non eo, quo decet modo paratus accesserit; is, quem non ritè pęnituerit, hoc est, qui ea, quæ maximè est opus, contritione caret: qui proxima nocte rem cum coniuge habuerit, (modo vitetur offensio) is postremò, cui vel ex Canone, vel iudicis decreto abstinendum sit; quanquam is non modo semel, sed sępe etiam peccata sacerdoti confiteri debet, ex animoque dole-

K re,

re, quòd eiusmodi sit animæ suæ status, vt ab ea mensa repellatur. Deumque continenter orare, ac precari debet, vt se ita impeditum expedire pro sua benignitate velit: in quo etiam Parochi precibus est adiuuandus.

Inimicitiarum verò caussæ, odij, simultatis, concubinatus, vsurarum, & id genus aliæ pro iniustis omninò erunt habendæ, neque vllo pacto accipiendæ, multo minus illę, quas quis inconsulto sacerdote, ex suo ipsius iudicio metiri, ac rationi consentaneas existimari voluerit. Immò verò id genus hominum, nisi in viam redierint, & ad bonam frugem se receperint; Parochi erit curare, vt ad nos deferantur.

Qui his, teruè polliciti se peccato modum, finemque facturos, ad communionem fuerint admissi, eos Parochi amplius non admittunto, nisi factum fuerit periculum, an eos ritè, veréque peccati pœniteat.

Vt nemo pœnitentium confessionem audiat, nisi eius audiendę ab Episcopo eidem fuerit facta potestas.

CONSTITVTIO LI.

Qvamuis sacerdotibus, cum ordinantur, absoluendi potestas tradatur, quemadmodum Sacra Tridentina Synodus docet, ac, qui animarum procurationi præest, ea lege teneatur, vt id muneris obeat; tamen cum non omnes simul, atque sacerdotalem ordinem susceperunt, ad eam rem sint apti, tùm ob ætatem, tùm verò alias ob caussas; eam ob rem præcipimus omnibus sine exceptione sacerdotibus, ne pœnitentium confessionem audiant, etiamsi vel priuilegium alicui irrogatum, vel mare magnum, quod vocant, suffragetur, nisi prius à nobis, vel nostro Vicario eius rei potestas illis fuerit permissa, adhibita diligenti de eorum habilitate, ac peritia quæstione. Si quis autem contra faxit, eum à diuinorum tractatione, ac functione annum arceri volumus. Quibus verò potestas concedenda erit, ijs gratis concedendam mandamus.

Sacer-

Sacerdotes præterea sic habento, neminem ad eam rem admissum iri, nisi canones, qui ad pœnitentiam pertinent, inter cætera calleant: quibus qui id oneris sustinebunt, tanquam clauo vtantur in hoc tàm vasto pœnarum imponendarum, quasi pelago, eosque tanquam regulam sequantur. Illud tamen in pœnis iniungendis sacerdotibus est animaduertendum, vt id modestè faciant, ne pœnitentes vel pęnę grauitate deterriti, à pœnitendo auocentur, vel eius leuitate peccandi veluti seges, ac materies præbeatur.

Diploma denique, quam bullam vocant, quæ quotquot annis Dominicæ Cœnæ die Romę legi consueuit, ac Cathalogum eorum peccatorum, à quibus absoluendi potestas aut Pontifici maximo, aut nobis reseruata est, singuli vt apud se habeant, mandamus.

De loco, tempore, ac modo in confessionibus audiendis seruando, & de fide ab iis exhibenda, qui alieno sacerdoti confitentur.

CONSTITVTIO LII.

POenitentium confessionibus audendis præfecti, cæterique omnes animarum procurationi præpositi cum publicè, tùm priuatim fideles monebunt, vt conscientiam diligenter antea perscrutati, singulis, quæ perpetrauerint, sceleribus ad contritionem consequandam excussis, non solum semel in anno proprio Parocho, vel ipsius permissu, ac concessu, alteri sacerdoti, qui approbatus fuerit, peccata confiteatur (nisi malint per nos à communione fidelium segregari) sed hortentur etiam, vt crebrò id faciant, & quotiescunque aliquo se lethali peccato obstrictos senserint, omnia, quæ peccata circumstant, aperto animo exponentes, quæque illius speciem mutare solent. Ea enim res, vt nemo omnium ignorare potest, ad portum salutis tenendum, maximè omninò est necessaria.

Sed vt offensiones, quę communi hoste ministro ea in re euenire interdum solent, quoad eius fieri potest, vitentur; sancimus, vt confessiones præsertim fœminarum (nisi ęgrotæ sint) in Ecclesia duntaxat, locoque aperto, ac patenti audiantur, vt sacerdos

(quem eo tempore linea veste, ac stola indutum esse volumus) ab omnibus conspici, & videri possit.

Loca, vbi confessiones ipsæ erant audiendæ, sancimus, vt habeant vel stannea specilla foraminibus plena ad instar Craticulæ, vel ligneos cancellus transuersim plagulis ita fenestratos, vt sacerdos pœnitentem audire, non etiam videre possit.

Fœminarum confessiones neque ante ortum, neque occasum diei, nec alibi, quàm loco ipso audiunto.

Qui secùs faxit, à confessionibus audiendis pro arbitrio nostro abstinere, sacerdoti pœna esto.

Dent operam in primis omnes sine discrimine, ac delectu eius rei præfecti, vt ante, quàm ad confessionem audiendam aggrediantur, pie, religioséque se se Deo parent. Deinde verò pœnitentis statum, atque ordinem diligenter inuestigent, quærantque, num excommunicationis vinculo sit deuinctus, & cuius ea sit generis, vt eum, ad suum iudicem reijcere possint, cum pœnitentiæ sacramenti particeps haud anteà esse queat. Prætereà num aliquo eorum scelerum sit irretitus, quibus liberandi ius est vel Pontifici max. vel nobis vnis, prætereà nemini, quò eundem reijciant.

Ad hęc quærant, an superiorem proximam confessionem iterare debeat, ac num quo odij, inimicitiæ, concubinatus, vsuræ, & id genus alijs peccatis teneatur.

Modestè autem, ac cautè quærere, atq; interrogare eorum partes erunt: nè pœnitentes, in primis verò adolescentes, ac virgines peccatis imbuant.

Studebunt autem pœnas à pœnitentibus repetere pro peccatorum origine, ac differentia, proque culpæ, affectionis, pœnitentiæ gemitus, personæ, ętatis, ac temporis modo, & demum pro ratione eorum, quæ peccatis ipsis sunt adiuncta. In eo verò faciendo, videant, vt à sacris constitutionibus ne digitum quidem transuersum discedant.

Pecuniarum persoluendarum pœnis aut raró, aut nunquam pœnitentes afficiant.

In primis autem nunquam eo animo faciant, vt sibi vel suis Ecclesiis cænobiisuè, vel Missę celebrandæ, vel eiusmodi rei præstandæ caussa, pecuniæ ipsæ persoluantur.

Abso-

Absolutionem autem nunquam sub conditione impertiunto.

Cum verò semel, bisuè, tèruè ad summum vnius, eiusdemque peccati caussa impertiuerint, eam amplius ne impertiunto, nisi prius à pœnitente Deo, iustitiæ, vel proximo re ipsa fuerit satisfactum: quemadmodum vnusquisque proximi famam, quam depeculatus est, tueri, ablatas res restituere, pecuniam per vsuras vel alio modo extortam, præstare, pacem dare, concubinam expellere, & eius generis alia facere potest. Id autem intelligendum est, si absque offensione fieri possit.

In vitæ autem discrimine pœnitens si versabitur, ab omnibus peccatis, delictis, sceleribus, facinoribus quantumuis indignis, ac turpibus, etiam si eius sint generis, à quibus absoluendi vni duntaxat Pontifici maximo ius, fasque est, absoluendus erit: accepta tamen ab ægroto idonea cautione, vel saltem iureiurando, se si in vita manserit, primo quoque tempore satisfacturum, & vbi primũ valetudinem recuperauerit, coram eo, cui absoluendi ius est, intrà mensem adfuturum: vt quicquid sibi fuerit iniunctum, piè, & religiosè præstet, ac perficiat: proponatque ab eiusmodi peccatis in posterum abstinere. Si quid verò restituendum erit, & diem obierit, caueat, hæredes ab suo statim obitu ipsius munus expleturos.

In vitæ autem discrimine quis esse intelligendus est, cum is ita periculosè ægrotare videtur, vt vno omnium, in primis verò medicorum iudicio timeatur, ne supremus ei vitæ dies instet.

Atque, vt Parochi, quę suę sint partes, quòad huiusmodi Sacramentum attinet, planiùs intelligant, & sigillum in fidelium animis imprimere, eisq; confitendi necessitatem imponere possint, legem, quę in Lateranensi Concilio, Innocentio III. Pont. Maximo sancita est, operę precium hûc afferre duximus: ea sic habet. Omnis vtriusque sexus Christi fidelis post quam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Paschate resurrectionis, Eucharistiæ Sacramentum; nisi forte de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam notabilem caussam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin

ab

ab Ecclesiæ ingressu viuens arceatur, & mortuus Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum in Ecclesiis publicari frequenter mandamus, ne quisquã ignorãtiæ cęcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Parocho iusta de caussa peccata sua confiteri volet, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote cum alter illũ absoluere, vel ligare non possit. Sit aũt sacerdos discretus, & cautus, vt more periti medici vinũ, & oleum vulneribus sauciati infundat, diligenter inquirens, & peccatorum circũstantias, quibus prudenter intelligat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere debeat, diuersis remedijs vtendo ad saluandum ægrotum. Caueant autem omninò, ne verbo, aut signo, aut aliquo modo prodeant aliquatenus peccatorẽ, sed si prudentiori consilio indiguerint, illud absq; vlla expressione personæ caute requirant, quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectũ præsumpserit reuelare, non solum ex officio sacerdotali deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum. Hactenus lex.

Parochi, igitur, sępè in anno decretum hoc vulgari sermone fidelibus exponant, præsertim verò singulis Quadragesimæ festis diebus: eisque prædicant, neminem ad sanctissimam Eucharistiam admissum iri, nisi quarta maioris Hebdomadæ feria tota sacerdoti peccata fuerit confessus, aut iusta caussa fuerit impeditus.

Generalem adeundi, quem quisque maluerit, sacerdotem, licentiam Parochi ne permittunto. Si quis porrò qui eius rei faciendæ licentiam obtinuerit; Quadragesimæ tempore peccata alieno sacerdoti fuisse confessum asseruerit; nisi id testimonij chirographo probauerit, ei fidem ne habento.

Eum pręterea pro non peccata confesso, neque ipsi decreto obsecuto haberi volumus, qui Paschalium exacto tempore toto anno indulgentiarum, remissionumuè consequendarum gratia, aut qua vis alia caussa, aut specie sine eiusmodi licentia alieno sacerdoti fuerit confessus: in eumq; æquè agendum mandamus, atq; contra eum, qui illo ipso anno peccata sacerdoti minimè fuerit confeßus.

Omnibus insuper sine vlla exceptione Parochis pręcipimus, ne quem post Paschalia toto anno absoluant, qui eo ipso tempore, vel

pro-

proprio Parocho, vel ipsius permissu alieno minime fuerit peccata confessus, nisi fortè imminente morte in vitæ discrimine versetur. Quod tamen si acciderit; cauemus, ne Parochus sanctissimo eum viatico prosequatur prius, quàm is exibuerit confessionis fidem.

Regulares, cæterique omnes, qui ad ægroti cuiuspiam confessionem audiendum fuerint acciti, si eius rei proprio illius Parocho fidẽ vel per litteras, vel coràm facere recusauerint, vt ex perscripto sacræ congregationis super negotijs Episcoporum, ac visitationibus Apostolicis, tenentur: De quo extant apud nos litteræ Illustrissimi Cardinalis Senonen. datæ pridie nonas februarij 1586. cauemus, ne amplius in nostra omni Diœcesi pœnitentes audiant.

De publica pœnitentia.

CONSTITVTIO LIII.

CVm ex sacris constitutionibus grauiora peccata, quæ diuulgata offensionem pariunt, publica sint pœna coercenda; præcipimus omnibus sacerdotibus sanctæ obedientiæ vi, ac virtute, vt laicis in eo genere publicè delinquentibus publicam imponant pœnam: ita tamen, vt modestè, ac pro culpæ modo id faciant, habita prudenter personæ, sexus, ætatis, ac delicti ratione, & horum omnium expensa, atque æstimata qualitate: reseruentque nobis nihilominus integram authoritatem eiusmodi pœnæ, quę publicè esset imponenda, priuatìm irrogandæ.

Vt Parochi quolibet anno octauo post Pascha die, eorum, qui eo ipso anno neq; peccata sacerdoti fuerint confessi, neque communicauerint, ad Episcopum nomina deferant.

CONSTITVTIO LIIII.

DOminico, quem in Albis vocant, elapso die, vnusquisque animarum procurationi præfectus, nec non omnes, qui ex antiqua

ab Ecclesiæ ingressu viuens arceatur, & mortuus Christiana ca-
reat sepultura. Vnde hoc salutare statutum in Ecclesiis publica-
frequenter mandamus, ne quisquã ignorãtiæ cęcitate velamen excu-
sationis assumat. Si quis autem alieno Parocho iusta de caussa pec-
cata sua confiteri volet, licentiam prius postulet, & obtineat à pr-
prio sacerdote cum alter illũ absoluere, vel ligare non possit. Sit au-
sacerdos discretus, & cautus, vt more periti medici vinũ, & oleum
vulneribus sauciati infundat, diligenter inquirens, & peccatorum
circũstantias, quibus prudenter intelligat ei præbere consilium, &
cuiusmodi remedium adhibere debeat, diuersis remediis vtendo ad
saluandum ægrotum. Caueant autem omninò, ne verbo, aut signo,
aut aliquo modo prodeant aliquatenus peccatorẽ, sed si prudentio-
ri consilio indiguerint, illud absq; vlla expressione personæ caute re-
quirant, quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi dete ctũ
præsumpserit reuelare, non solum ex officio sacerdotali deponen-
dum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpe-
tuam in arctum monasterium detrudendum. Hactenus lex.

Parochi, igitur, sępè in anno decretum hoc vulgar[illegible] fi-
delibus expouant, præsertim verò singulis Quad[illegible]
diebus: eisque prædicant, neminem ad sanctissim[illegible]
admissum iri, nisi quarta maiori [illegible]bdomad[illegible]
doti peccata fuerit confessus, [illegible] ussa [illegible]

Generalem adeundi, qu[illegible] mal[illegible]
centiam Parochi ne per[illegible]
dæ licentiam obtinuer[illegible]
sacerdoti fuisse conf[illegible]
probauerit, ei fide[illegible]

Eum pretere[illegible]
cuto haberi vol[illegible]
indulgentiaru[illegible]
vis alia cau[illegible]
ti fuerit conf[illegible]
eum, qui ill[illegible]

Omnib[illegible]
quem po[illegible]

pecca-
rſetur.
eum
m.
ſſo
i-
o

ut

C*Vm ta...*
gata ...
cipimu...
virtute, vt laud...
ent pœnam ...
habita prud...
rum omnium ...
obis nihilominus ...
icè eſſet imponend...

Vt Parochi quolibe...
qui eo ipſo anno ...
confeſsi, ...
ad Epiſc...

CONSTITVT...

D*Ominico, quem in Albis vocan...*
marum procurationi præfectos ...

qua consuetudine in sua Ecclesia Eucharistiæ administrandæ potestatem habent, intra quindecim proximos dies eorum nomina, ac cognomina perscripta ad nos vt deferant, cauemus, qui anno illo neque peccata sacerdoti fuerint confessi, neque communicauerint, caussamque dicant, quamobrem Ecclesię præcepto noluerint: modo eam resciierint extra confessionem, vt in eos excommunicationis mucrone agere possimus, postquam ter generatim inter sacra solemnia præmoniti non paruerint. Hanc autem excommunicationem, quæ gratis à nostra curia concedetur, mandamus, vt vnusquisque Parochus penès se proptam, ac paratam habeat, & co quo dictum est, tempore in Ecclesia promulgandam curet.

Qui verò peruicaces ipsos aut ad nos deferre, aut delatos in vulgus indicare neglexerit, vel absque nostro permissu distulerit; is mensem ab officio, ac munere abstinere cogetur: grauiùsque etiam pro incuriæ, ac culpæ ratione punietur.

Atque, vt facilius id fieri possit, præcipimus Parochis omnibus, vt quoscunque in Paræcia habent, referant in Cathalogum, atque vt quot annis Quadraginta videlicet solemni dierum ieiunio, eum renouandum, atque instaurandum curent, illisque omnibus, qui eiusmodi lege tenentur, tesseram, symbolumue à Parochis dari iubemus, quo optimè intelligi possit, qui legi paruerint, qui non.

Vt Parochi ægrotos inuisant, etiam non vocati, neque è Parœcia discedant, ante, quàm, & ipsis & mulieribus, quarum partus appropinquat, prospexerint.

CONSTITVTIO LV.

Populum suæ fidei commissum, ac creditum continenter Parochi monere debent, vt cum aliquem in morbum incidere contigerit; hic spiritualis prius medicus adhibeatur, quàm, qui corpus curare consueuit, quæratur: adhibita enim cœlesti, ac salutari; non dubium est, quin humana ijs, qui sunt curandi, medicina magis sit profutura. Mandamus autem, vt ad ægrotos

spónte

ſponte accedant, atque vltro; neque expectent, dum ab eorum propinquis vocentur: quin etiam, vt piè, ac religiosè, ſummaque cum caritate eorum animum ad Dei bonitatem, ac miſericordiam contemplandam, & , quæ Ieſus Chriſtus pro generis humani ſalute paſſus eſt, cogitanda, ſpiritualibus ſermonibus excitent, & mentem ab odio, ſimultate, humanis curis, ac ſollicitudinibus, ad cęleſtes, ac diuinas traducant; hortentur eos non modo ad morbi cruciatus fortiter, patienterque ferendos, ſed etiam ad ſancta Pœnitentiæ, Eucbariſtię, & extremæ vnctionis Sacramenta piè, ac religiosè ſumenda.

Si verò contigerit, vt Parochus vnum duoſuè, tres ve dies ab Eccleſia abeſſe neceſſitate cogatur; id ei demum facere licebit, ſi prius populo prædixerit, atque ægrotos, mulieresque, quibus partus inſtet, inuiſerit, & à ſuæ claſſis pręfecto, vel eius vicario licentiam obtinuerit, atque alicui ex vicinis Parochis ſuas partes imponet, atque munus mandet. Si autem diutiùs ab eſſe volet; id demum facere poterit, ſi per nos licuerit, quibus vnis integram licentiam reſeruamus, prętereà nemini. Secus qui fax it menſem diuinorum functione interdicetur, & trium aureorum nummûm, qui in Parœciæ, & pauperum, atque ægrotorum vſus conferendi erunt, ei multa dicetur.

Vt Medici, vbi primum ægrotos inuiſerint, eos ſeduló moneant, vt ſacerdoti peccata confiteantur, & quibus pœnis teneantur, ſi id minus fecerint, deque fide ab ipſis facienda iis, qui Quadrageſimæ tempore ab vetitis cibis abſtinere non poſſe aſſeruerint.

CONSTITVTIO LVI.

OMnibus Medicis, ac Chirurgis, cęterisque, qui eiuſmodi ſcientam profitentur, vi, ac virtute ſanctæ obedientiæ pręcipimus, vt cum ad ægrotos fuerint adducti, eos benignè, fraternèque hortentur, vt valetudinem patientèr, fortiterque ferant, pacem, ſi læſi fuerint, cum eo, qui læſit, faciant. Deinde eis edicant, ſe cum Chriſtiana charitate, tum ſacris Canonibus,

tum verò Pij Quinti Pont. Max. constitutione cogi monere eos, vt ad spiritualem in primis medicum confugiant, Ecclesiæ Sacramenta percepturi: nisi enim sacerdoti peccata fuerint confessi, tribus elapsis diebus non licere sibi eosdem amplius inuisere. Qui quidem Medici si huic non paruerit constitutioni, ijs volumus eos teneri pęnis, quę à sacris sanctionibus sunt constitutæ. Si verò ægroti ipsi Medici dicto minus audientes fuerint; mandamus, ne eos vllo pacto amplius inuisant: proponimusque, si contra fecerint, easdem pœnas. Quod tamen ita intelligi volumus, nisi forte sacerdos, qui ægroti confessionem est auditurus, iustam ob caussam confitendi tempus ei prorogauerit; id quod ex conscientia sacerdos ipse metietur: quod si contigerit; volumus, vt prorogationis fidem sacerdos chirographo faciat, quam ægrotus Medico exhibere possit.

Quod si Medicis erit dubium, an ægrotus peccata sacerdoti fuerit confessus, & tamen vltra triduum eum etiam inuiserint, & medicinam adhibuerint, ijsdem pœnis eos volumus teneri.

Iisdem prætere a mandamus, vt vbi primum ægroto fuerint adhibiti, statim ex ipso, ipsiusque domesticis quærant, an alium præterea medicum adhibuerint, nec ne: quod si adhibuisse, & postea dimisisse, vt pœnitentiæ Sacramentum dolo malo subterfugerent, compererint; præcipimus, vt ad ægrotum ipsum amplius ne accedant, nisi si ex eius sacerdotis, qui ægrotum confitentem audierit, chirographo patebit, ipsum peccata fuisse confessum.

Si autem secus Medici ipsi faxint, eadem illos pœna plecti volumus, qua Innocentij tertij, & Pij Quinti summorum Pontificum constitutionibus plectuntur.

Ad hæc iisdem præcipimus, vt cum ipsis chirographo testimonium dandum erit ijs, qui valetudine se impediri aiunt, quominus solemni Quadragesimæ dierum ieiunio à cibis vetitis abstinere possint, id ex cõscientia metiantur, velintque salutem tum suam, tum illorum in primis spectare, non humanarum rerum ratione habere.

Aegroti porrò propinquos, domesticos, ac familiares monemus, vt Parochum de ægrotatione quàm primum faciant certiorem, ægrotoque ipsi, cum primum ægrotare cœperit, authores sint, vt sacerdoti peccata omninò confiteatur, ne, si ingrauescenti postea morbo id faciant, eis vitę desperationem, mortisq; timorē incutiāt.

De extrema vnctione, & de diligentia moribundis à Parocho adhibenda.

CONSTITVTIO LVII.

Cvm extremæ vnctionis Sacramentum, quod vnum est ex septem à Iesu Christo ad nostram salutem institutum, & ab Apostolo Iacobo illius institutio fidelibus proposita fuerit, ac promulgata, cum inquit, Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei; eam ob rem Parochi, cęterique omnes publicæ animarum curationi præpositi, summam adhibeant diligentiam, ne vllus fidelis sine illo è vita discedat. Sic tamen habento, nunquam esse hoc Sacramentum tribuendum, nisi cum quis graui morbo afflictatur, & ei vitæ periculum impendet, qui prius peccata sacerdoti (si fieri possit) fuerit confessus, & communicauerit. Pueris ad hæc, qui rationis vsu carent, furiosis, amentibus (nisi interdum rationis vsum habeant, & eo potissimum tempore pij animi significationem deut, petantque, vt sacro oleo porungantur) senibus, qui sensim sua sponte nulla adhibita morbi vi senectute extinguuntur, capitis damnatis, mortem sibi consciscere volentibus. In monomachiam, seu singulare certamen descendentibus, in militiam, vel peregrè religionis ergò, votiue caussa proficisci volentibus, periculosam nauigationem parantibus, & quos peccatorum nequaquam pęnitet, non esse administrandum: præterea semel tantum vna, eademque ægrotatione id faciant, adhibitis de more precibus, atque obsecrationibus, ad quas vel clericus, vel saltem laicus respondeat, & orantibus omnibus, qui adstant, ęgrotoq; animæ inprimis salutem, deinde etiam corporis valetudinem, cum illa adiunctione, si ad ęternam gloriam profutura sit, pie expetentibus.

Quæ autem corporis partes, tum fœminis, tum viris, sint vngendę, reiicimus Parochos ea de re ad codicem, qui sacerdotale inscribitur, & ad illum, cui titulus est, Rituale, siuè cathecumenus, quos duces ut omnes sequantur, mandamus.

L 2 Ex-

Extremæ autem vnctionis oleum, quemadmodum ſanctum Chriſma, quotquot annis toto videlicet octauo poſt Paſcha die renouandum, atque inſtaurandum mandamus, veteri in lampades, vt comburatur, infuſo.

Qui verò hæc vel neglexerit, vel in eo adminiſtrando, animæque ſalute commendanda, ægroti mortis tempore ſocors, ſupinuſque fuerit, vel ſolutus, atque otioſus moribundo adfuerit; huius plectendi, ac puniendi ius nobis reſeruamus ad beneficiorum Eccleſiaſticorum vſque pro noſtro arbitrio priuationem.

Vt Parochi dent operam, ne Matrimonia clandeſtinè contrahantur, neque ſine denunciationibus, & vt ſponſalia per verba, quę futurum tempus indicant, contracta, per verba, quæ pręſens tempus ſignificent, intra quindecim dies confirmentur, rataque habeantur.

CONSTITVTIO LVIII.

CVm multæ offenſiones, iurgia, inimicitiæ, atque peccata, ex clandeſtinis Matrimonijs oriantur præſertim, ſi in gradibus prohibitis contrahantur; Parochorum partes erunt ſtudere, nè huiuſmodi coniugia inter eos ineantur, qui ex ipſorum Parœcia ſunt. Sed ſedulò operam nauare, vt antiquus ordo, qui à ſacro Tridentino Concilio in vſum eſt reuocatus, omninò ſeruetur: vt ea ſcilicet in facie Eccleſiæ, ac loco aperto celebrentur, pręſentibus duobus, vel tribus teſtibus, ac proprio Parocho, qui viro, ac muliere interrogatis, vt Concilij verbis vtamur, & eorum mutuo conſenſu intellecto, dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Antè tamen, quàm matrimonium contrahatur; ter in Eccleſia inter ſacra ſolemnia tribus perpetuis, ac continuis feſtis diebus denunciatio eſt facienda, inter quos illud contrahatur, idque ab vtroque Parocho, ſi contrahentes non eiuſdem Parœciæ erunt.

Voluntas tamen, vel Parentum, aut tutorum vel curatorum ſi qui ipſis erunt, ſententia prius elicienda erit.

Qui

Qui verò alio, quàm qui à nobis præscribitur, modo coniugia inire ausi fuerint, eos statim ad sic contrahendum, vt eiusdem Concilij verbis inhæreamus, omnino inhabiles reddi, & huiusmodi contractus irritos, nullosque esse decernimus, atque declaramus.

Si autèm probabilis interdum fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; tunc vel vna tantum fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus, vt paulo ante dictum est, testibus præsentibus, matrimonium contrahatur, (non sine tamen nostro permissu, atque concessu) deinde ante carnis copulam, illiusque consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua suberunt impedimenta, facilius detegantur: quemadmodum illud idem Concilium sancte, ac prudenter decernit.

Parochi insuper sponsos moneant, vt sponsalia verbis, quæ futurum tempus indicant, contracta; intra quindecim dies, (nisi iusta caussa subsit) rata habeant, eademque confirment verbis, quæ præsentis temporis significationem habeant. Quod si secus faxint, eos ab Ecclesiæ aditu arcendos mandamus.

Eisdem prætereà Parochis præcipimus, vt eos hortentur, ne easdem ædes incolant, ne uè vnà commorentur, ac versentur.

Ipsi porrò Parochi, qui hunc ipsum ordinem non seruauerint, aut pauciores testes, quàm est præscriptum, adhibuerint, & testes ipsi, qui huiusmodi Matrimonio contrahendo adfuerint, atq; adeò ipsi contrahentes nouerint, in excommunicationis laqueum se statim inducturos. Parochi præterea sic habento, graui se pœna multandos, nisi decretum à Tridentino Concilio hac ipsa de re promulgatum, à nobis verò Thuscè redditum, quater saltem in anno, festis scilicet diebus, fidelibus exposuerint.

Vt coniugum benedictio à proprio Parocho fiat, vtque ab eodem coniugum nomina in codicem referantur, & ne ignotos, ac vagos Episcopo inconsulto coniugia inire patiantur.

CONSTITVTIO LVIIII.

CVm ex sacri Concilij Tridentini decreto solemnis ille in coniungendis sponsis ritus, ac cerimonia, quam benedictionē vocant, à quo-

Præterea vt singulis mensibus ter saltem Sacramentum ipsum, priori in missæ sacrificio absumpto vnà cum frustulis, ac fragmentis si in vase reperiantur, renouentur atq; instauretur: ac pro eius loculamento vna saltem lampas perpetuò, ac sempiternò ardens conseruetur.

Dent Parochi præterea diligenter operam, vt semel saltem in in anno quadraginta horarū præcatio ante sanctissimum Sacramentum de loculamento exemptum, ac circum Ecclesiam in pompa, atque ordine, seù (si quis id malit) in processione delatum (quam non solum cum exponitur, sed etiam cum reponitur, adhibendam mandamus) à cuncto populo ex pio, ac religioso instituto peragatur, more maiorum. Ad eamque peragendam volumus, vt fœminæ ab ortu ad occasum dici, mares verò noctu conueniant statis horis.

Vt Parochi assiduè populum hortentur ad Eucharistiam frequentissimè sumendam, &, quæ in ea administranda; præsertim cum defertur ad ægrotos, sint cauenda.

CONSTITVTIO XXXXIX.

QVoniam ex nonnullorum, qui publicè animarum curationi præsunt, negligentia euenire dubitamus, vt laici, maximè verò ij, qui in aliquam societatem, quam vulgò confraternitatem vocant, sunt cooptati, ea lege teneantur, vt sæpe in anno sacram Eucharistiam sumant, uel rarò, uel semel duntaxat id faciant; eam ob rem Parochis omnibus sanctæ obedientiæ vi, ac virtute mandamus, ut singuli inter sacra, cum fideles ad rem diuinam conuenerint, & eis Euangelium interpretabuntur, occasionem nacti eosdem cohortentur, vt sæpe, uel festis saltem diebus, aut qui in aliqua sunt societate, ex ipsius consuetudine, ac legibus, animam reficiant, ac recreent, & aduersus communis hostis nequitiam, hoc præstantissimo, ac saluberrimo Sacramento muniāt. Nihil.n. salubrius, quis facere poterit, quàm si in suis angustijs, ac calamitatibus sacerdoti prius peccata confessus, ad hoc salutare

Sacra-

Sacramentum confugerit, quo Deo reconciliamur, eiusdem gratiam assequimur, & cohæredes regni cælestis in Christo efficimur.

Mandamus præterea, dent operam Parochi, ut mares seorsum à fœminis, aut saltem non promiscuè cum illis, dum communicant, ante altare sint, atque ut uiri illuc accedant inermes, eo verò ornatu, qui ipsorum humilitatem, animique demissionem ostendat: fœminę autem ut uelo, aut aliquo eius generis panno tum caput, tum frontem obnubant, tum uerò pectus strophio cingant ad papillarum tumorem cohibendum, quò religionem, pietatem, ac pudicitiam præseferant.

Sancimus ad hæc, ut unusquisque Parochus pixidem, uel uas, cum operculo ea, qua proximè dictum est, habeat, forma, idque argenteum, aut æreum quidem, sed inauratum, undè Sacramentum populo præbere tutò possit, ac uas etiam uel argenteum, uel christallinum, diuersa tamen à Calicibus forma, in purificationis usum. Illud autem in sacrario, capsula inclusum, non alibi asseruandum mandamus.

Pueris, qui rationis usum non dum habent, neque de illius essentia, uirtute, atque effectu, ut habetur in Christianæ doctrinæ libello, prius fuerint edocti, Sacramentum ipsum ne administranto.

At cum uel malè, uel bene ualentibus erit administrandum, nihil eorum, quæ in Classium regulis præscripta sunt, prætermittunto: sed omnia diligenter seruanto, studiosè agunto.

Populum insuper docento, æquè mares, ac fœminas, modò ad iustam peruenerint ætatem, hoc est vsum rationis habeant, ea lege teneri, vt semel, minimum singulis annis, in Paschalibus sacrosanctum Domini Corpus sumant: qui verò id facere neglexerint, eos non solum Ecclesiæ aditu prohibendos: sed etiam etiam posteaquam tribus diebus festis, qui post Pascha perpetuà serie insequentur, dum sacra peraguntur, publicè, ac generatim fuerint moniti, pro abstentis, quos Cyprianus appellauit, excommunicatisuè, ni pareant, habendos: ac, si annum in sententia permanserint, de religione suspectos putandos.

Coniuges præterea docento, piè se, religiosèque facturos, si per tres dies, vel vigintiquatuor saltem horas tùm ante, tùm post sanctissimæ Eucharistiæ perceptionē ob officio matrimonij abstineant.

Eucha-

Eucharistiæ extra propriam cuiusque paræciam percipiendæ ne mini, nisi iustissima, ac grauissima caussa id postulet, Parochi potestatem faciunto.

Si verò eiusmodi caussa cogente alicui potestatem fecerint; illius postea Parochi, qui huic Sacramentum administrauerit, testimonij chirographum sibi exibendum curanto: ni ita fuerit exhibitum, hunc in eorum numero, qui non communicauerint, ponunto.

Aegrotos autem, qui alieno sacerdoti cuius ille cunque fuerit ordinis, siue secularis, siuè regularis, vt vocant, peccata fuerint confessi, sanctissimo viatico ne prosequuntor, nisi eius, qui confessionem audierit, prius testimonij chirographum viderit.

Hic autem Parochos hortamur, ne facilè eos ad Eucharistiam percipiendam admittant, qui proxime in Paræciam commigrauerint, præsertim si sibi non sint noti, nisi illius, vnde proxime discesserint, Parochi fidem, quod ad mores, & vitam pertinet, exhibuerint.

Cum verò contigerit, vt ad ægrotos ipsos Sacramentum deferendum sit; tunc vel in pixide, vel in vase tecto lato serico, quod de sacerdotis humeris pendeat, tutò, ac reuerenter sub vmbraculo à sacerdote ipso deferatur, qui linea veste (super pellicium uulgo uocant) stola, ac pallio, quod pluuiale appellant (si tamen non incōmode fieri queat) sit superindutus, pluribus prælatis luminibus, laterna magna, ac tintinnabulo; atq; is quidē sacerdos, duas (quod commodè facere possit) Sacramenti partes secum deferto) quorū alteram ad Ecclesiam eodem, quo dictum est, ordine referto. Secus si contigerit; extinctis luminibus, nec tintinnabulo pulsato, modestè tamen ad Ecclesiam redito.

Socios, quos confratres vocant, cæterosque, qui Sacramentum fuerint comitati, de indulgentijs, remissionibusuè culparum eis pro ratione ob eiusmodi pietatis officium concessis moneto.

Cæterum ęgroti propinquos præmoneto, vt domum, in primis verò locum, vbi ægrotus ipse iaceat, à sordibus purgent, ibidemque abacum pro viribus ornatum statuant, cum duobus cereis super candelâbro ardentibus, & cum aqua in vase ad manus lauandas.

Aegrotos ipsos, cum in vita versabuntur discrimine, semel tantum in vna, eademque ægrotatione sanctissimo viatico prosequuntor,

tor, ac preces, quæ in sacerdotali codice præscribuntur, adhibento.

Vt autem Sacramentum eo, quo decet piorum virorum comitatu deferatur; quisque Parochus, vbi Corporis Christi societas, confraternitasuè non fuerit, omni studio eam instituant, curentq; vt, cum Sacramentum ipsum erit ad ægrotos deferendum, sociorũ pars, certo æris constituto signo coeant, ac conueniant, illud comitaturi: ac psalmos, hymnos, precesque alias recitantes, Deum pro ægroti salute, quæ tum corpus, tum animam spectat, piè religioséque precentur.

Quibus de caussis ab Eucharistia percipienda fidelibus sit abstinendum, & quamobrem debeant exscusari.

CONSTITVTIO L.

NE ob nimiam sacerdotum facilitatem, aut imperitiam laicis peccandi materia præbeatur, atque vt ij, qui pœnitentium confessiones audiunt, nouerint, quænam iustæ sint caussæ, quamobrem eis ab Eucharistia sumenda abstinendum sit; hic nonnullas exempli gratia subijciemus, ex quibus industrius, prudensque Parochus facilè colliget, num, quas ipsi laici attulerint sint rationi consentaneæ, & in ea re exscusari meritò possint, nec ne.

Qui, igitur, ea fuerit ob ægrotationem stomachi imbellicitate, vt verendum sit, ne, si Sacramentum sumat, ei nausea excitetur; exscusandus erit. Mente item captus, necnon Gonorrhæus: his accedit ille, de quo sacerdos vereatur, ne statim in peccatum relabatur, item qui non eo, quo decet modo paratus accesserit; is, quem non ritè pœnituerit, hoc est, qui ea, qua maxime est opus, contritione caret: qui proxima nocte rem cum coniuge habuerit, (modo vitetur offensio) is postremò, cui vel ex Canone, vel iudicis decreto abstinendum sit; quanquam is non modo semel, sed sæpe etiam peccata sacerdoti confiteri debet, ex animoque dole-

re, quòd eiusmodi sit animæ suæ status, vt ab ea mensa repellatur. Deumque continenter orare, ac precari debet, vt se ita impeditum expedire pro sua benignitate velit: in quo etiam Parochi precibus est adiuuandus.

Inimicitiarum verò caussæ, odij, simultatis, concubinatus, vsurarum, & id genus aliæ pro iniustis omninò erunt habendæ, neque vllo pacto accipiendæ, multo minus illę, quas quis inconsulto sacerdote, ex suo ipsius iudicio metiri, ac rationi consentaneas existimari voluerit. Immò verò id genus hominum, nisi in viam redierint, & ad bonam frugem se receperint; Parochi erit curare, vt ad nos deferantur.

Qui bis, teruè polliciti se peccato modum, finemque facturos, ad communionem fuerint admissi, eos Parochi amplius non admittunto, nisi factum fuerit periculum, an eos ritè, verèque peccati pœniteat.

Vt nemo pœnitentium confessionem audiat, nisi eius audiendę ab Episcopo eidem fuerit facta potestas.

CONSTITVTIO LI.

QVamuis sacerdotibus, cum ordinantur, absoluendi potestas tradatur, quemadmodum Sacra Tridentina Synodus docet, ac, qui animarum procurationi præest, ea lege teneatur, vt id muneris obeat; tamen cum non omnes simul, atque sacerdotalem ordinem susceperunt, ad eam rem sint apti, tùm ob ætatem, tùm verò alias ob caussas; eam ob rem præcipimus omnibus sine exceptione sacerdotibus, ne pœnitentium confessionem audiant, etiamsi vel priuilegium alicui irrogatum, vel mare magnum, quod vocant, suffragetur, nisi prius à nobis, vel nostro Vicario eius rei potestas illis fuerit permissa, adhibita diligenti de eorum habilitate, ac peritia quæstione. Si quis autem contra faxit, eum à diuinorum tractatione, ac functione annum arceri volumus. Quibus verò potestas concedenda erit, ijs gratis concedendam mandamus.

Sacer-

Sacerdotes præterea sic habento, neminem ad eam rem admissum iri, nisi canones, qui ad pœnitentiam pertinent, inter cætera calleant: quibus qui id oneris sustinebunt, tanquam clauo vtantur in hoc tàm vasto pœnarum imponendarum, quasi pelago, eosque tanquam regulam sequantur. Illud tamen in pœnis iniungendis sacerdotibus est animaduertendum, vt id modestè faciant, ne pœnitentes vel pęnę grauitate deterriti, à pœnitendo auocentur, vel eius leuitate peccandi veluti seges, ac materies præbeatur.

Diploma denique, quam bullam vocant, quæ quotquot annis Dominicæ Cœnæ die Romę legi consueuit, ac Cathalogum eorum peccatorum, à quibus absoluendi potestas aut Pontifici maximo, aut nobis reseruata est, singuli vt apud se habeant, mandamus.

De loco, tempore, ac modo in confessionibus audiendis seruando, & de fide ab iis exhibenda, qui alieno sacerdoti confitentur.

CONSTITVTIO LII.

POenitentium confessionibus audendis præfecti, cæterique omnes animarum procurationi præpositi cum publicè, tùm priuatim fideles monebunt, vt conscientiam diligenter antea perscrutati, singulis, quæ perpetrauerint, sceleribus ad contritionem consequandam excussis, non solum semel in anno proprio Parocho, vel ipsius permissu, ac concessu, alteri sacerdoti, qui approbatus fuerit, peccata confiteatur (nisi malint per nos à communione fidelium segregari) sed hortentur etiam, vt crebrò id faciant, & quotiescunque aliquo se lethali peccato obstrictos senserint, omnia, quæ peccata circumstant, aperto animo exponentes, quæque illius speciem mutare solent. Ea enim res, vt nemo omnium ignorare potest, ad portum salutis tenendum, maximè omninò est necessaria.

Sed vt offensiones, quę communi hoste ministro ea in re euenire interdum solent, quoad eius fieri potest, vitentur; sancimus, vt confessiones præsertim fœminarum (nisi ęgrotæ sint) in Ecclesia duntaxat, locoque aperto, ac patenti audiantur, vt sacerdos

(quem eo tempore linea veste, ac stola indutum esse volumus) ab omnibus conspici, & videri possit.

Loca, vbi confessiones ipsæ erant audiendæ, sancimus, vt habeant vel stannea specilla foraminibus plena ad instar Craticulæ, vel ligneos cancellus transuersim plagulis ita fenestratos, vt sacerdos pœnitentem audire, non etiam videre possit.

Fœminarum confessiones neque ante ortum, neque occasum diei, nec alibi, quàm loco ipso audiunto.

Qui secus faxit, à confessionibus audiendis pro arbitrio nostro abstinere, sacerdoti pœna esto.

Dent operam in primis omnes sine discrimine, ac delectu eius rei præfecti, vt ante, quàm ad confessionem audiendam aggrediantur, pie, religiosèque se se Deo parent. Deinde verò pœnitentis statum, atque ordinem diligenter inuestigent, quærantque, num excommunicationis vinculo sit deuinctus, & cuius ea sit generis, vt eum, ad suum iudicem reijcere possint, cum pœnitentiæ sacramenti particeps haud anteà esse queat. Præterea num aliquo eorum scelerum sit irretitus, quibus liberandi ius est vel Pontifici max. vel nobis vnis, prætereà nemini, quò eundem reijciant.

Ad hæc quærant, an superiorem proximam confessionem iterare debeat, ac num quo odij, inimicitiæ, concubinatus, vsuræ, & id genus alijs peccatis teneatur.

Modestè autem, ac cautè quærere, atq; interrogare eorum partes erunt: nè pœnitentes, in primis verò adolescentes, ac virgines peccatis imbuant.

Studebunt autem pœnas à pœnitentibus repetere pro peccatorum origine, ac differentia, proque culpæ, affectionis, pœnitentiæ gemitus, personæ, ætatis, ac temporis modo, & demum pro ratione eorum, quæ peccatis ipsis sunt adiuncta. In eo verò faciendo, videant, vt à sacris constitutionibus ne digitum quidem transuersum discedant.

Pecuniarum persoluendarum pœnis aut rarò, aut nunquam pœnitentes afficiant.

In primis autem nunquam eo animo faciant, vt sibi vel suis Ecclesijs cœnobiisuè, vel Missę celebrandæ, vel eiusmodi rei præstandæ caussa, pecuniæ ipsæ persoluantur.

Abso-

Absolutionem autem nunquam sub conditione impertiunto.

Cum verò semel, bisuè, tèruè ad summum vnius, eiusdemque peccati caussa impertiuerint, eam amplius ne impertiunto, nisi prius à pœnitente Deo, iustitiæ, vel proximo re ipsa fuerit satisfactum: quemadmodum vnusquisque proximi famam, quam depeculatus est, tueri, ablatas res restituere, pecuniam per vsuram vel alio modo extortam, præstare, pacem dare, concubinam expellere, & eius generis alia facere potest. Id autem intelligendum est, si absque offensione fieri possit.

In vitæ autem discrimine pœnitens si versabitur, ab omnibus peccatis, delictis, sceleribus, facinoribus quantumuis indignis, ac turpibus, etiam si eius sint generis, à quibus absoluendi vni duntaxat Pontifici maximo ius, fasque est, absoluendus erit: accepta tamen ab ægroto idonea cautione, vel saltem iureiurando, se si in vita manserit, primo quoque tempore satisfacturum, & vbi primũ valetudinem recuperauerit, coram eo, cui absoluendi ius est, intràmensem adfuturum: vt quicquid sibi fuerit iniunctum, piè, & religiosè præstet, ac perficiat: proponatque ab eiusmodi peccatis in posterum abstinere. Si quid verò restituendum erit, & diem obierit, caueat, hæredes ab suo statim obitu ipsius munus expleturos.

In vitę autem discrimine quis esse intelligendus est, cum is ita periculosè ægrotare videtur, vt vno omnium, in primis verò medicorum iudicio timeatur, ne supremus ei vitæ dies instet.

Atque, vt Parochi, quę suę sint partes, quòad huiusmodi Sacramentum attinet, planiùs intelligant, & sigillum in fidelium animis imprimere, eisq; confitendi necessitatem imponere possint, legem, quę in Lateranensi Concilio, Innocentio III. Pont. Maximo sancita est, operę precium hûc afferre duximus: ea sic habet. Omnis vtriusque sexus Christi fidelis post quam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Paschate resurrectionis, Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam notabilem caussam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin ab

ab Ecclesiæ ingressu viuens arceatur, & mortuus Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum in Ecclesiis publicari frequenter mandamus, ne quisquã ignorãtiæ cęcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Parocho iusta de caussa peccata sua confiteri volet, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote cum alter illũ absoluere, vel ligare non possit. Sit aũt sacerdos discretus, & cautus, vt more periti medici vinũ, & oleum vulneribus sauciati infundat, diligenter inquirens, & peccatorum circũstantias, quibus prudenter intelligat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere debeat, diuersis remedijs vtendo ad saluandum ægrotum. Caueant autem omninò, ne verbo, aut signo, aut aliquo modo prodeant aliquatenus peccatorẽ, sed si prudentiori consilio indiguerint, illud absq; vlla expressione personæ caute requirant, quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectũ præsumpserit reuelare, non solum ex officio sacerdotali deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum. Hactenus lex.

Parochi, igitur, sępè in anno decretum hoc vulgari sermone fidelibus exponant, præsertim verò singulis Quadragesimæ festis diebus: eisque prædicant, neminem ad sanctissimam Eucharistiam admissum iri, nisi quarta maioris Hebdomadæ feria tota sacerdoti peccata fuerit confessus, aut iusta caussa fuerit impeditus.

Generalem adeundi, quem quisque maluerit, sacerdotem, licentiam Parochi ne permittunto. Si quis porrò qui eius rei faciendæ licentiam obtinuerit; Quadragesimæ tempore peccata alieno sacerdoti fuisse confessum asseruerit; nisi id testimonij chirographo probauerit, ei fidem ne habento.

Eum pręterea pro non peccata confesso, neque ipsi decreto obsecuto haberi volumus, qui Paschalium exacto tempore toto anno indulgentiarum, remissionumuè consequendarum gratia, aut qua vis alia caussa, aut specie sine eiusmodi licentia alieno sacerdoti fuerit confessus: in eumq; æquè agendum mandamus, atq; contra eum, qui illo ipso anno peccata sacerdoti minimè fuerit confessus.

Omnibus insuper sine vlla exceptione Parochis pręcipimus, ne quem post Paschalia toto anno absoluant, qui eo ipso tempore, vel

pro-

proprio Parocho, vel ipsius permissu alieno minime fuerit peccata confessus, nisi fortè imminente morte in vitæ discrimine versetur. Quod tamen si acciderit; cauemus, ne Parochus sanctissimo eum viatico prosequatur prius, quàm is exibuerit confessionis fidem.

Regulares, cæterique omnes, qui ad ægroti cuiuspiam confessionem audiendum fuerint acciti, si eius rei proprio illius Parocho fidē vel per litteras, vel coràm facere recusauerint, vt ex perscripto sacræ congregationis super negotijs Episcoporum, ac visitationibus Apostolicis, tenentur: De quo extant apud nos litteræ Illustrissimi Cardinalis Senonen. datæ pridie nonas februarij 1586. cauemus, ne amplius in nostra omni Diœcesi pœnitentes audiant.

De publica pœnitentia.

CONSTITVTIO LIII.

Cvm ex sacris constitutionibus grauiora peccata, quæ diuulgata offensionem pariunt, publica sint pœna coercenda; præcipimus omnibus sacerdotibus sanctæ obedientiæ vi, ac virtute, vt laicis in eo genere publicè delinquentibus publicam imponant pœnam: ita tamen, vt modestè, ac pro culpæ modo id faciant, habita prudenter personæ, sexus, ætatis, ac delicti ratione, & horum omnium expensa, atque æstimata qualitate: reseruentque nobis nihilominus integram authoritatem eiusmodi pœnæ, quę publicè esset imponenda, priuatìm irrogandæ.

Vt Parochi quolibet anno octauo post Pascha die, eorum, qui eo ipso anno neq; peccata sacerdoti fuerint confessi, neque communicauerint, ad Episcopum nomina deferant.

CONSTITVTIO LIIII.

Dominico, quem in Albis vocant, elapso die, vnusquisque animarum procurationi præfectus, nec non omnes, qui ex antiqua

qua consuetudine in sua Ecclesia Eucharistiæ administrandæ potestatem habent, intra quindecim proximos dies eorum nomina, ac cognomina perscripta ad nos vt deferant, cauemus, qui anno illo neque peccata sacerdoti fuerint confessi, neque communicauerint, caussamque dicant, quamobrem Ecclesię præcepto noluerint: modo eam resicierint extra confessionem, vt in eos excommunicationis mucrone agere possimus, postquam ter generatim inter sacra solemnia præmoniti non paruerint. Hanc autem excommunicationem, quæ gratis à nostra curia concedetur, mandamus, vt vnusquisque Parochus penès se proptam, ac paratam habeat, & co, quo dictum est, tempore in Ecclesia promulgandam curet.

Qui verò peruicaces ipsos aut ad nos deferre, aut delatos in vulgus indicare neglexerit, vel absque nostro permissu distulerit; is mensem ab officio, ac munere abstinere cogetur: grauiùsque etiam pro incuriæ, ac culpæ ratione punietur.

Atque, vt facilius id fieri possit, præcipimus Parochis omnibus, vt quoscunque in Parœcia habent, referant in Cathalogum, atque vt quot annis Quadraginta videlicet solemni dierum ieiunio, eum renouandum, atque instaurandum curent, illisque omnibus, qui eiusmodi lege tenentur, tesseram, symbolumue à Parochis dari iubemus, quo optimè intelligi possit, qui legi paruerint, qui non.

Vt Parochi ægrotos inuisant, etiam non vocati, neque è Parœcia discedant, ante, quàm, & ipsis & mulieribus, quarum partus appropinquat, prospexerint.

CONSTITVTIO LV.

Populum suæ fidei commissum, ac creditum continenter Parochi monere debent, vt cum aliquem in morbum incidere contigerit; huc spiritualis prius medicus adhibeatur, quàm, qui corpus curare consueuit, quæratur: adhibita enim cælesti, ac salutari; non dubium est, quin humana ijs, qui sunt curandi, medicina magis sit profutura. Mandamus autem, vt ad ægrotos sponte

ſponte accedant, atque vltro; neque expectent, dum ab eorum propinquis vocentur: quin etiam, vt piè, ac religiosè, ſummaque cum caritate eorum animum ad Dei bonitatem, ac miſericordiam contemplandam, & , quæ Ieſus Chriſtus pro generis humani ſalute paſſus eſt, cogitanda, ſpiritualibus ſermonibus excitent, & mentem ab odio, ſimultate, humanis curis, ac ſollicitudinibus, ad cœleſtes, ac diuinas traducant; hortentur eos non modo ad morbi cruciatus fortiter, patienterque ferendos, ſed etiam ad ſanctæ Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis Sacramenta piè, ac religiosè ſumenda.

Si verò contigerit, vt Parochus vnum duoſuè, tres ve dies ab Eccleſia abeſſe neceſſitate cogatur; id ei demum facere licebit, ſi prius populo prædixerit, atque ægrotos, mulieresque, quibus partus inſtet, inuiſerit, & à ſuæ claſſis præfecto, vel eius vicario licentiam obtinuerit, atque alicui ex vicinis Parochis ſuas partes imponet, atque munus mandet. Si autem diutiùs ab eſſe volet; id demum facere poterit, ſi per nos licuerit, quibus vnis integram licentiam reſeruamus, prætereà nemini. Secus qui fax it menſem diuinorum functione interdicetur, & trium aureorum nummûm, qui in Paræciæ, & pauperum, atque ægrotorum vſus conferendi erunt, ei multa dicetur.

Vt Medici, vbi primum ægrotos inuiſerint, eos ſedulò moneant, vt ſacerdoti peccata confiteantur, & quibus pœnis teneantur, ſi id minus fecerint, deque fide ab ipſis facienda iis, qui Quadrageſimæ tempore ab vetitis cibis abſtinere non poſſe aſſeruerint.

CONSTITVTIO LVI.

Omnibus Medicis, ac Chirurgis, cæteriſque, qui eiuſmodi ſcientam profitentur, vi, ac virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt cum ad ægrotos fuerint adducti, eos benignè, fraternèque hortentur, vt valetudinem patientèr, fortiterque ferant, pacem, ſi læſi fuerint, cum eo, qui læſit, faciant. Deinde eis edicant, ſe cum Chriſtiana charitate, tum ſacris Canonibus,

tum verò Pij Quinti Pont. Max. constitutione cogi monere eos, vt ad spiritualem in primis medicum confugiant, Ecclesiæ Sacramenta percepturi: nisi enim sacerdoti peccata fuerint confessi, tribus elapsis diebus non licere sibi eosdem amplius inuisere. Qui quidem Medici si huic non paruerit constitutioni, ijs volumus eos teneri pęnis, quę à sacris sanctionibus sunt constitutæ. Si verò ægroti ipsi Medici dicto minus audientes fuerint; mandamus, ne eos vllo pacto amplius inuisant: proponimusque, si contra fecerint, easdem pœnas. Quod tamen ita intelligi volumus, nisi forte sacerdos, qui ægroti confessionem est auditurus, iustam ob caussam confitendi tempus ei prorogauerit: id quod ex conscientia sacerdos ipse metietur: quod si contigerit; volumus, vt prorogationis fidem sacerdos chirographo faciat, quam ægrotus Medico exhibere possit.

Quod si Medicis erit dubium, an ægrotus peccata sacerdoti fuerit confessus, & tamen vltra triduum eum etiam inuiserint, & medicinam adhibuerint, ijsdem pœnis eos volumus teneri.

Iisdem præterea mandamus, vt vbi primum ægroto fuerint adhibiti, statim ex ipso, ipsiusque domesticis quærant, an alium præterea medicum adhibuerint, nec ne: quod si adhibuisse, & postea dimisisse, vt pœnitentiæ Sacramentum dolo malo subterfugerent, compererint; præcipimus, vt ad ægrotum ipsum amplius ne accedant, nisi si ex eius sacerdotis, qui ægrotum confitentem audierit, chirographo patebit, ipsum peccata fuisse confessum.

Si autem secus Medici ipsi faxint, eadem illos pœna plecti volumus, qua Innocentij tertij, & Pij Quinti summorum Pontificum constitutionibus plectuntur.

Ad hæc iisdem præcipimus, vt cum ipsis chirographo testimonium dandum erit ijs, qui valetudinę se impediri aiunt, quominus solemni Quadragesimæ dierum ieiunio à cibis vetitis abstinere possint, id ex coscientia metiantur, velintque salutem tum suam, tum illorum in primis spectare, non humanarum rerum rationē habere.

Aegroti porrò propinquos, domesticos, ac familiares monemus, vt Parochum de ægrotatione quàm primum faciant certiorem, ægrotoque ipsi, cum primum ægrotare cœperit, authores sint, vt sacerdoti peccata omninò confiteatur, ne, si ingrauescenti postea morbo id faciant, eis vitę desperationem, mortisq; timorē incutiāt.

De

De extrema vnctione, & de diligentia moribundis à Parocho adhibenda.

CONSTITVTIO LVII.

CVm extremæ vnctionis Sacramentum, quod vnum est ex septem à Iesu Christo ad nostram salutem institutum, & ab Apostolo Iacobo illius institutio fidelibus proposita fuerit, ac promulgata, cum inquit, Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: &, si in peccatis sit, remittentur ei; eam ob rem Parochi, cęterique omnes publicæ animarum curationi præpositi, summam adhibeant diligentiam, ne vllus fidelis sine illo è vita discedat. Sic tamen habento, nunquam esse hoc Sacramentum tribuendum, nisi cum quis graui morbo afflictatur, & ei vitæ periculum impendet, qui prius peccata sacerdoti (si fieri possit) fuerit confessus, & communicauerit. Pueris ad hæc, qui rationis vsu carent, furiosis, amentibus (nisi interdum rationis vsum habeant, & eo potissimum tempore pij animi significationem dent, petantque, vt sacro oleo porungantur) senibus, qui sensim sua sponte nulla adhibita morbi vi senectute extinguuntur, capitis damnatis, mortem sibi consciscere volentibus. In monomachiam, seu singulare certamen descendentibus, in militiam, vel peregrè religionis ergò, votiue caussa proficisci volentibus, periculosam nauigationem parantibus, & quos peccatorum nequaquam pęnitet, non esse administrandum: prætereà semel tantum vna, eademque ægrotatione id faciant, adhibitis de more precibus, atque obsecrationibus, ad quas vel clericus, vel saltem laicus respondeat, & orantibus omnibus, qui adstant, ęgrotoq; animæ inprimis salutem, deinde etiam corporis valetudinem, cum illa adiunctione, si ad ęternam gloriam profutura sit, pie expetentibus.

Quæ autem corporis partes, tum fœminis, tum viris, sint vngendę, reiicimus Parochos ea de re ad codicem, qui sacerdotale inscribitur, & ad illum, cui titulus est, Rituale, siuè cathecumenus, quos duces ut omnes sequantur, mandamus.

Extremæ autem vnctionis oleum, quemadmodum sanctum Chrisma, quotquot annis toto videlicet octauo post Pascha die renouandum, atque instaurandum mandamus, veteri in lampades, vt comburatur, infuso.

Qui verò hæc vel neglexerit, vel in eo administrando, animæque salute commendanda, ægroti mortis tempore socors, supinusque fuerit, vel solutus, atque otiosus moribundo adfuerit; huius plectendi, ac puniendi ius nobis reseruamus ad beneficiorum Ecclesiasticorum vsque pro nostro arbitrio priuationem.

Vt Parochi dent operam, ne Matrimonia clandestinè contrahantur, neque sine denunciationibus, & vt sponsalia per verba, quę futurum tempus indicant, contracta, per verba, quæ pręsens tempus significent, intra quindecim dies confirmentur, rataque habeantur.

CONSTITVTIO LVIII.

CVm multæ offensiones, iurgia, inimicitiæ, atque peccata, ex clandestinis Matrimonijs oriantur præsertim, si in gradibus prohibitis contrahantur; Parochorum partes erunt studere, nè huiusmodi coniugia inter eos ineantur, qui ex ipsorum Parœcia sunt. Sed sedulò operam nauare, vt antiquus ordo, qui à sacro Tridentino Concilio in vsum est reuocatus, omninò seruetur: vt ea scilicet in facie Ecclesiæ, ac loco aperto celebrentur, pręsentibus duobus, vel tribus testibus, ac proprio Parocho, qui viro, ac muliere interrogatis, vt Concilij verbis vtamur, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Antè tamen, quàm matrimonium contrahatur; ter in Ecclesia inter sacra solemnia tribus perpetuis, ac continuis festis diebus denunciatio est facienda, inter quos illud contrahatur, idque ab vtroque Parocho, si contrahentes non eiusdem Parœciæ erunt.

Voluntas tamen, vel Parentum, aut tutorum vel curatorum si qui ipsis erunt, sententia prius elicienda erit.

Qui

Qui verò alio, quàm qui à nobis præscribitur, modo coniugia inire ausi fuerint, eos statim ad sic contrahendum, vt eiusdem Concilij verbis inhæreamus, omnino inhabiles reddi, & huiusmodi contractus irritos, nullosque esse decernimus, atque declaramus.

Si autèm probabilis interdum fuerit suspicio, matrimonium maliciosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; tunc vel vna tantum fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus, vt paulo ante dictum est, testibus præsentibus, matrimonium contrahatur, (non sine tamen nostro permissu, atque concessu) deinde ante carnis copulam, illiusque consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua fuerunt impedimenta, facilius detegantur: quemadmodum illud idem Conciliũ sanctè, ac prudenter decernit.

Parochi insuper sponsos moneant, vt sponsalia verbis, quæ futurum tempus indicant, contracta; intra quindecim dies, (nisi iusta caussa subsit) rata habeant, eademque confirment verbis, quæ præsentis temporis significationem habeant. Quod si secus faxint, eos ab Ecclesiæ aditu arcendos mandamus.

Eisdem prætereà Parochis præcipimus, vt eos hortentur, ne easdem ędes incolant, ne ùe vnà commorentur, ac versentur.

Ipsi porrò Parochi, qui hunc ipsum ordinem non seruauerint, aut pauciores testes, quàm est præscriptum, adhibuerint, & testes ipsi, qui huiusmodi Matrimonio contrahendo adfuerint, atq; adeò ipsi contrahentes nouerint, in excommunicationis laqueum se statim induturos. Parochi præterea sic habento, graui se pœna multandos, nisi decretum à Tridentino Concilio hac ipsa de re promulgatum, à nobis verò Thuscè redditum, quater saltem in anno, festis scilicet diebus, fidelibus exposuerint.

Vt coniugum benedictio à proprio Parocho fiat, vtque ab eodem coniugum nomina in codicem referantur, & ne ignotos, ac vagos Episcopo inconsulto coniugia inire patiantur.

CONSTITVTIO LVIIII.

CVm ex sacri Concilij Tridentini decreto solemnis ille in coniungendis sponsis ritus, ac cęrimonia, quam benedictionẽ vocant, à quo-

à quoquam, adhiberi non possit, nisi à proprio Parocho, aut ab alio quidem sacerdote, sed uel ipsius Parochi, uel ordinarij permissu, ac licentia; eam ob rem præcipimus, vt non alio modo, atque ab ipso Concilio est decretum, ea res peragatur, & vt intra quindecim à contractis sponsalibus dies, idque verbis, quæ præsens tempus significent, non ante solis ortum, & adhibita in Ecclesia, non in priuatis ędibus Missę celebratione, ex laudata nostræ Ciuitatis consuetudine. Qui secus faxit; is à nobis arbitrariè diuinis interdicetur, quemadmodum sacerdos is, cuius ille cunque fuerit ordinis, qui sine Parochi licentia in aliena Paræcia, vel quindecim elapsis diebus in sua fuerit in coniungendis sponsis auspex, atq; author.

Sponsos Parochus mandamus, hortetur, vt ante eam ipsam cęrimoniam, quæ tam bonis auspicijs est facienda, peccata sacerdoti confiteantur, deinde ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè, ac religiosè accedant, moneantque, si ob reuerentiam, quæ tanto Sacramento debetur, à carnis copula, ac Matrimonij officio biduum, vel triduum, aut quatuor saltem supra viginti, horas abstinuerint, piè admodum facturos: prǽterea illis sit author, vt, si filios susceperint, eos ad Dei cultum, ac religionem educare, atque instituere maximè studeant.

Hæc autem solemnis cærimonia, ac ritus, nequaquam est adhibendus, cum vel vir, vel fœmina ad secundas nuptias accesserint, quemadmodum etiam cum inter sponsos carnis copula antea intercessit.

Qui porrò coniugum, testiumque nomina, ac cognomina, diem, mensem, atque annum initi coniugij in codicem non retulerit, quemadmodum concilij vestigia persequentes ab quouis Parocho, vt referantur, mandamus, mensem à diuinis abstinebit.

Grauiùs verò plectentur ij, qui vagos, peregrinosnè in sua Paræcia matrimonia contrahere absque nostro præcipuo concessu permiserint, aut eis contrahendis interfuerint.

De

De gradibus, quos vltra Matrimonium contrahere non licet, deque temporibus, quibus nefas est, nuptiarum solemnia celebrare: & de non ducenda ea in vxorem, quam quis adultero corruperit.

CONSTITVTIO LX.

Sacrosancta Tridentina Synodus, optima, atque æquissima quasi parens fidelium commoditati consulere, ac prospicere cupiens, quod ad Matrimonia contrahenda attinet, nonnulla sustulit impedimenta, quæ huc vsque in Ecclesia Dei extitêre, obstiterunt. Quamobrem nos quæ reliqua esse videntur, omnibus tum laicis, tum Clericis nostræ Diœcesis optimè cognoscenda, ac perspicienda esse duximus.

Sic, igitur, habento, impedimentum, quod ex sanguinis coniunctione siue marium siue fœminarum, & ex affinitate, hoc est maris, ac fœminæ coitu non damnato, eiusmodi esse, vt quod ad iusta nuptiarum fœdera ineunda pertinet, quartum gradum sua vi complectatur.

Impedimentum verò, quæ oritur ex fornicatione, primum, ac secundum non excedere; quemadmodum illud, quod ex iustitia publicæ honestatis oritur, si tamen sponsalia rata fuerint. Quod autem ex cognatione spirituali; quæ vel ex Baptismate, vel confirmatione contrahitur, nouerint, eum qui suscipit, eumque qui, suscipitur, ipsiusque parentes, & eum qui baptizzat, quique confirmat, eumque, qui baptizzatur, & confirmatur ipsiusque item parentes, non egredi.

Qui autem Matrimonium intra quemuis horum graduum prohibitum scientes, ac prudentes contrahere ausi fuerint; ij sciant se excommunicationis vinculo statim alligari, nullamque sibi spem esse reliquam fore, vt legibus soluantur, hoc est, vt vulgo dicunt, dispensentur, & eam ob rem alterum ab altero debere discedere. Si qui verò id imprudentes, atque ignari commiserint, & tamen quæ ad contrahendum requiruntur, neglexerint solemnitates, iisdem pœnis tenebuntur.

Quod si qui tamen legibus ob id tale fuerint soluti; eis nihil solutio

tio ipsa proderit, nisi si de ea fuerit facta à summo Pontifice gratia, aut priùs, quæ in supplicibus libellis fuerint narrata, ei probata erunt, cui ea res commissa fuerit, ac demandata.

Qui alterius uxorem adulteratus ei fidem dederit, si vir ipsius moriatur, illam à se in matrimonium ductum iri, vel eorum alter adulterio admisso, aut etiam uterque adulterio admisso, nec admisso, illi ipsi uiro necem fuerit machinatus, ij sic habento, huiusmodi matrimonium contrahi nefas esse, & ambos à fidelium cõmunione iam esse seiunctos, alterique ab altera esse discedendum.

Qui autem cum uxoris matre, filiauè, sororeuè, aut cum duabus sororibus rem habuerit; ei neutram in uxorem ducere licebit. Quod si constante Matrimonio id sceleris admiserit; officium, quod aliàs Matrimonio debetur, vxor ei præstare non debet, neque vir petere illud ab vxore potest.

Parochi porrò, cæterique publicè animarum curationi præpositi quotquot annis die scilicet Dominico, qui Aduentum Domini prçcedit, nec non etiam Cineralibus fideles admonere ne prætermittant, vt à nuptiarum solemnibus celebrandis abstineãt, quemadmodum etiam ab vxore domum deducenda, etiam sine solemnitate, ac pompa: idque à die ipso Dominico vsque ad octauum post Natalia, & à Cineralibus, usque ad totum Dominicæ Resurrectionis octauum diem. Qui secùs faxint, grauiter iuxta sacras constitutiones coercebuntur, ac punientur.

Ne impuberum sponsalia fiant.

CONSTITVTIO LXI.

CVm impuberum sponsalia à parentibus facta nisi ab illis, cum ad iustam ætatem peruenerunt, rata, firmaque habeantur, nulla sint, quod Matrimonium constare non possit, ubi utriusque consensus non reperitur; cumque ex huiusmodi sponsalibus, quæ plerunque ad eum, quò spectant, exitum non perueniunt, plurima subinde iurgia, odia, atque inimicitiæ oriantur; eam ob rem nos cupientes his malis salutariter cauere; statuimus, ne quis in posterum huiusmodi sponsalia, facere audeat. Preponimusque

ijs,

ijs, qui contra fexint, quinquaginta aureorum nummûm multam: quorum pars dimidia in pauperum vsus nostro arbitro conferetur, dimidia verò prophano loci illius, vbi sponsalia fuerint contracta, magistratui addicetur. Sacerdotes verò, qui vel eis contrahendis adfuerint, vel cuipiam ea de re consilium dederint, præter eandem, quam ipsis etiam irrogari volumus, multæ pœnam, à diuinis etiam tandiu abstinebunt, quandiu nobis visum fuerit.

Impuberes autem intelligendi sunt mares quidem ante, quàm ad quartum decimum, fœminæ verò quàm ad duodecimum peruenerint ætatis annum.

Ne quis Matrimonij pendente caussa aliud Matrimonium contrahat, neq; sponsalia, quæ futurum tempus designant, contracta inconsulto Episcopo dirimantur; nec ad secundas nuptias quis accedat, nisi iustè, ac legitimè coniugis mortem probauerit.

CONSTITVTIO LXII.

SI quis Matrimonij caussa pendente eò temeraritatis fuerit delapsus, vt cum alia, vel alio (hęc enim tam ad mares, quam ad fœminas pertinent) Matrimonium contrahere fuerit ausus, eum excommunicationis, ac centum aureorum nummûm multæ statim subijciendum sancimus, ac statuimus: cuius multæ dimidiam partem prophano loci illius magistratui, reliquum verò pauperibus addici volumus. Caussam autem pendere intelligendum est, ex quo quis primum in ius ipse fuerit vocatus, ac citatus, vel eius domum fuerit denunciatum, vt adsit.

Qui item cum Matrimonium prohibetur, vel de eo est iurgium, ac lis, in suas vel alienas ędes mulierem, tanquam coniugem duxerit; hunc eadem pœna plectendum sancimus.

Qui verò sponsalia verbis, quæ futuri temporis significationem habeant, contracta, nobis inconsultis dirемerit, atque dissoluerit; is Ecclesiæ aditu tres ipsos menses prohibebitur.

Coniux porrò, qui prius, quàm coniugis mortem, de qua fuerit dubium, cognitam, perspectamque habeat, sine nostro item con concessu secunda inierit nuptiarum fędera, pœnis tum sacrarum [illegible]anum, tum verò nostris arbitrarijs coercetur.

Ne quis in cognoſcendas Matrimoniorum cauſſas ſe intrudat, neque ad Matrimonium contrahendum quemquam cogat.

CONSTITVTIO LXIII.

CVm Matrimoniorum cauſſæ ſpirituales omnino ſint, neque à quoquam, niſi docto, ac perito Eccleſiaſtico viro, pontificij in primis iuris conſulto, cui iudicandi fas, iuſque eſt, cognoſci poſſint; eam ob rem ſanctæ obedientiæ vi, ac virtute præcipimus omnibus tum laicis, tum clericis, quacunque illi vel dignitate, vel magiſtratu, aut munere fungantur (modo huiuſmodi Matrimoniorum cauſſas cognoſcendi neque ius, neque fas illis ſit) nè quauis offenſionis tollendæ ſpecie ſimulata, callidè, & occultè in eas ſe ſe inſinuent, arroganteruè intrudant, atque inferant, ſed ad nos, vt æquum poſtulat, eas reijciant, ſi forte, ad ipſorum eadem tribunal, ac forum agantur. Proponimuſque ijs, qui contra fexint, eaſdem, atque ſacræ proponunt conſtitutiones, cenſuras, ac pœnas. Ad hæc nouerint Principes, ac Domini, quique in magiſtratu ſunt, nec non ipſorum miniſtri, anathematis pœnam ſe ſtatim ſubituros, ſi quouis modo impediuerint, quo minus aliquis ex eadem Diœceſi, aut aliquis alius Matrimonium liberè contrahat, aut quenquam inuitum contrahere coegerint.

Qui præterea impudentibus calumnijs impediuerit, quominus legitima nuptiarum fœdera ineantur; hunc & excommunicationis pœna damnandum, & viginti quinque aureorum nummûm multa multandum ſancimus.

Contra mulierum raptores, eorumque fautores.

CONSTITVTIO LXIIII.

SAcroſancta Tridentina Synodus decernit, inter raptorem, & raptam, quandiu hanc in illius poteſtate fuerit, nullum Matrimonium conſiſtere poſſe. quòd ſi raptę à raptore ſecretę, & in loco tuto, ac libero conſtitutę placuerit, illum in virum habere;

hanc

hanc raptor in vxorem ducendam: & nihilominus raptorē ipsum, nec non omnes, qui eum vel consilio, vel re, vel studio iuuerint ipso iure à fidelium communione esse seiunctos, ac perpetua infamia notari, & omnium dignitatum expertes fore. Si verò raptor fuerit clericus, eum de gradu deijci. Præcipit prætereà raptorem ea lege teneri, vt iudicis arbitrio raptam dote locupletet, atque ornet. Cuius decreti sententiam huc afferre voluimus nequis eius ignorationem caussari possit.

De laicis amicas in vxoris loco habentibus.

CONSTITVTIO LXV.

Sacrosancti Concilij Tridentini decretum in concubinos, ac concubinas promulgatum huc afferre non abs re indicauimus, quo Parochi huius expositione facilius ab eiusmodi peccato, quibus præsunt, fideles arceant, atque auertant. Id sic habet.

Graue peccatum est, Homines solutos concubinas habere; grauissimum verò, & in huius magni Sacramenti singularem contemptum admissum, vxoratos quoq; in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere, & retinere. Quarè, vt huic tanto malo Sancta Synodus opportunis remedijs prouideat; statuit, huiusmodi concubinarios, tàm solutos, quàm vxoratos, cuiuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excomunicatione feriendos esse: à qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres siue coniugatæ, siuè solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinarijs publicè viuunt, si ter admoniti non paruerint; ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter, pro modo culpę puniantur, & extra oppidum, vel Diœcesim, si id eisdem ordinarijs videbitur, inuocato si opus fuerit, brachio seculari, eijcian-

tute, ne vllum concionatorem, cuius ille cunque sit ordinis intra suæ Parœciæ fines conciones habere patiantur, nisi ipsis constiterit, potestatem eius rei faciendæ illis à nobis, vel à nostro vicario fuisse permissam, vel si concionator alicuius fuerit sodalitij, quem regularem vocant, & in sui ordinis Ecclesia concionem habere volet, hunc à nobis non dimiserimus ea cærimonia, quam benedictionem vocant. Illud autem non est ignorandum, neminem ad eiusmodi munus admissum iri, nisi se vel nobis, vel nostro summo Vicario stiterit. Non enim Parochi tantum, sed quilibet etiam sacerdos, qui concionatores à nobis licentiam non consecutos admiserit, atque receperit, à diuinis pro nostro arbitrio abstinebit: eademque etiam pœna afficietur, nisi vel primo, vel secundo die, quo die concionator aduenerit, hanc, quæ sequitur, constitutionem ei dederit legendam.

Quæ concionatoribus sint seruanda.

CONSTITVTIO LXVIII.

CVm concionatores Parochorum subsidio, vt dictum est, mittantur; idcirco eos monemus, vt neque Parochis, neque cæteris sacerdotibus quos in uinea Domini excolenda adiuuare debent, maledictis in concione vexent, quemadmodum nonnulli hac tempestate facere consueuerunt, qui suum ipsorum commodum, ostentationem, atque inanem gloriam potius, quàm aut Iesu Christi honorem, aut animorum salutem spectantes, Parochorum vitijs quasi promulgandis auditorum auribus inseruiunt; & auram popularem captare in primis student. Quamobrem per viscera Domini Nostri Iesu Christi rogamus omnes, qui in nostra Diœcesi sunt concionatoris officio perfuncturi, vt inter populum, ac sacerdotes pacem, concordiamque concilient. Si verò intellexerint, sacerdotes, & præcipuè vero Parochos aut perditis esse moribus, aut flagitiosa vita, vel munus suum ignorare, vel negligere, eos fraternè, & cum caritate, remotis in primis arbitris corrigant, ac doceant. Quod si fortè illi neque correctioni, neq; doctrinæ reliquerint locum; eos ad nos quàm primũ deferant.

San-

Sanctum autem potius Euangelium populo prædicent, & eiusdem Domini Nostri Iesu Christi preceptum seruent: is enim inquit, Prædicate Euangelium omni creaturæ: & idem, docete omnes gentes seruare, quæcunque mandaui vobis.

Sanctorum preterea Patrum interpretationibus innituntor: prophanorum authorum nequaquam necessaria testimonia, aut exempla, ad scientiæ, videlicet ostentationem ne afferunto.

A iocis, fabulis, verbis prætextatis, & obscęnis sermonibus, abstinento.

Ad ingenium auditorum se se accomodanto, pro eorum captu concionem habento.

Sanctorum anniuersariis diebus post Euangelij explanationem, res ab eis gestas, eorundemque passionem, ac nonnulla miracula (modo ea certa sint, & à pijs, ac fide dignis authoribus memoriæ prodita fuerint, narranto.

Eorum exemplo fideles ad religionem, & pietatis studia excitanto, vitia, dissolutasque loci consuetudines pietatis studio modestè execrantor.

Virtutes extollunto, fideles ad eas sectandas cohortantor. Ad Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramenta in primis alliciunto.

Honorem Dei, & animorum salutem spectanto, idque vnum sibi ob oculos proponunto.

Fideles item ad fidei Christianæ rudimenta perdiscenda crebrò, & obnixè inuitanto.

Mandamus preterea, fideles hortentur, vt sacrum Quadragesimæ tempus omni obedientiæ, ac pietatis studio, abstinentia, ieiunio, eleemosyna, precibus, & obsecrationibus, virium attenuatione, corporis maceratione, omnique salutaris pœnitentiæ disciplina religiosè, ac piè colant. Ad hæc ostendant, eos non solum lethaliter peccare, qui eo ipso tempore, cæterisque ieiunij diebus carne, ouis, ac lactentibus, quæ lacticinia vulgò vocant, absque licentia, & iusta sine caussa vescuntur, sed etiam qui bis in die, vno dominico excepto, cibum capiunt: nisi ex numero sint eorum, quos sacra excipiunt constitutiones, veluti pueri, senes, mulieres vel puerulū lactantes, vel vterum ferentes, quique corporis labore sibi victum quærunt, vitamque propagant. Deindè etiam moneant, præceptum

ptum

ptum, quod de ieiunio est, nequaquam seruari ab ijs, qui, media exacta nocte, quæ ipsum ieiuniunium præcedit, commessantur.

Doceant insuper ab odio, simultate, ludis, choreis, crapula, furto, & periurio esse abstinendum, nimio vestitui parcendum, mulieribus nonsolum, sed virginibus quoque hisce diebus caput obnubendum, ac strophijs ad pupillarum tumorem cohibendum, ac tegendum, ornatu vero minime vario, sed modesto, & coloris, vel purpurei, quem violaceum appellant, vel eiusmodi, vtendum.

Dogmata, decretauè in Concilijs sancita in quæstionē ne vocāto;

De Eucharistia, deque cæteris Sacramentis, ne disputanto.

At quod Sancta Parens Ecclesia indubitanter credit, de eo agunto.

Hæreses omnes potissimum verò recentiores, & huius tempestatis, sacræ scripturæ, sanctorum Patrum, ac conciliorum doctrina, non suis ipsorum argumentis confutanto, ac refellunto.

Falsas hęreticorum sententias, opinionesuè, argumentauè in medium ne afferunto.

Ambiguè, perplexèuè ne loquantor, ne auditores dubij, ancipitesuè à concione discedant.

Quæ alijs prædicauerint, vita, ac moribus ipsi exprimunto.

Elapso autem Quadragesimę, ac concionis tempore sancimus, vt omnes concionatores nobis se sistant, villicationis suæ redditurī rationem, nosque edocturi, quomodo tum laicoram, tum verò religiosorum vita, & mores se habeant: ac, si quid vel corrigendum, emendandumuè, conformandumuè, aut disponendum ad Dei honorem, & eius Ecclesiæ decus, nec non animorum salutem animaduerterint, mandamus, vt de eo nos liberè moneant.

Si verò sine iusta caussa se se nobis non stiterint, vel audiendorum pœnitentium laicorum licentiam consecuti, peccatorum, à quibus soluendi nobis potestatem reseruauimus, rationem non habuerint, neque in nostram Diœcesim aditus ad concionandum, neque confessiones audiendas amplius illis erit, & ad suos præfectos deferentur.

Hæc porrò omnia à Parochis etiam, qui ad suum populum concionem habent, pro ratione, & modo seruanda præcipimus, atque iubemus.

Vt

Vt sacerdotes, qui rus incolunt, singulis mensibus iuxta regulas societatis Iesu conuentus peragant, & vt omnes, qui sacris ordinibus sunt initiati, & ciuitatem incolunt, conscientiæ casuum, quos vocant, interpretationi adsint.

CONSTITVTIO LXVIIII.

QVoniam tum sacerdotum, tum populorum fructum, qui ex societate, & congregatione in nostra Diœcesi instituta à nobis sperabatur, in dies crescere pro ratione, & modo videmus; eam ob rem hos vniuersos, ac singulos hortamur, ac per viscera Domini N. Iesu Christi obtestamur, vt non formidine pœnæ, sed Dei amore, animorumque, quibus præsunt, vtilitate diligenter, ac studiosè curent, vt classium comitia singulis saltem mensibus in orbem habeantur, eoque tempore Missæ in mortuorum suffragium celebrentur, & alia pietatis officia studiosè persoluantur, ac præstentur, deinde ad populum de ijs sermo habeatur, quæ tum credere, & obseruare, tùm verò vitare, & cauere debent.

Mandamus præterea, eos hortentur, vt Ecclesiam, confessionem, ac sanctissimam communionem frequentent, festos dies colant, ab iniustis, & flagitiosis rebus abstineant. Qui verò sermonem habebit, in ijs præcipuè peccatis, ac delictis detestandis, atq; execrandis versetur (modestè tamen, & cum caritate) quæ illius populi propria, ac præcipua esse cognouerit.

Mandamus ad hæc, vt sacerdotes ipsi, cum in comitium venerint, quæcunque Ecclesiæ illi, quò conuenerint, necessaria erunt, omnia prouideant: rectoremque, & Aedituum moneant, vt mandata diligenter, & quàm primum exequantur.

Dent præterea ijdem operam, vt controuersiæ, lites, rixæ, ac iurgia inter populum componantur, & inimicorum, si qui sint, alter cum altero in gratiam bona fide redeat. Aegrotos inuisant, excommunicatis, qua uis de caussa prospiciant, ac consulant, & quibuscunque rebus poterunt, opitulentur, vt eo, quo tenentur, vinculo exsoluantur, & in quo salutis periculo versentur, ostendant, ac tandem omne illud, quod vnà fuerint, in huiusmodi pie-

tatis

tatis studijs, colloquijs, spiritualibus lectiobus tempus ponant, ceteraque seruent omnia, quæcunque in ipsis classium regulis iubentur, quæ ab vniuersa synodo anno 1589. recepta fuerunt, vt populus non crapulæ, sed honoris Dei, & suæ ipsorum salutis gratia conuenisse intelligat.

Ipsi porrò sacerdotes semel in anno, Priores, ac Quæstores bis item in anno nobis, Priores uerò, ac Quæstores quater, singulis scilicet quatuor sacris anni tempestatibus Præpositis, ut in regulis ipsis cauetur, se sistant.

Præcipimus præterea, vt sacris ordinibus initiati, qui intra ciuitatis pomerium domicilium habent, quæstionibus ad conscientiam pertinentibus dissoluendis, atq; explicandis bis in hebdomada adsint. Qui si non paruerint neq; ad altiores sacrorum ordinum gradus admittentur, neque beneficiorum Ecclesiasticorum competitores esse eis fas, aut ius erit.

(∴)

DE ECCLESIIS, ET LOCIS PIIS, ET DE EORVM BONIS.

TITVLVS QVINTVS.

Vt Aedes sacræ, cæteraq; pia loca decenter habeantur, & vitium facientes reficiantur, ac sartę tectæ conseruentur, & de festo dedicationis die.

CONSTITVTIO LXX.

CVM diligentissimè cauendum sit, ne quæ Deo, & sacris mysterijs sunt dicata, temporis inuidia, ac vitio vel deteriora fiant, vel abolescant; eam ob rem omnes monitos esse volumus, qui Ecclesiis, sacellis, sacris hospitijs, cuius illa cunque sint generis, & alijs eiusmodi religiosis locis præsunt, vel ea possident, aut administrant, vt dealbata, ac lateribus strata habeant: vetustate collapsa, aut diruta, vel vitium facientia male materiata ac ruinosa reficiant, muniant, & demum sarta tecta, integraq; pręstent, conseruent, tuantur: curentque, vt altaria, eorumque Icones egregijs, vel saltem decentibus picturis ornentur, idque vel suis ipsorum, vel Aedituorum sumptibus iuxta cuiusq; Ecclesiæ consuetudinem. Prætęrea, vt quæ Altaria non dum sunt consecrata, neque dote, hoc est vectigalibus locupletata, fanumq; ipsum deformant, destrant, ac diruant. Si verò frugibus, fr:ctibusq; aucta fuerint; opportuno, ac decenti loco statuant, atque reficiant: Icones verò cæcas, picturis vetustate exolescentibus, quæ ad aspectum iniucundæ sunt, comburent.

Tem-

Templa, altariaue, seu Cappellas honesto censu non attributo, neque nobis permittentibus, nemo exædificato.

Super altare, quod fornice caret, pro fornice tegumentum ex tela, tabulisue pictis substituito, templa ipsa vndique ambiri vt possint, ad supplicationes obeundas, vtque in earum singulis duæ, minimum, portæ, vna ingredientibus, & egredientibus viris, altera mulieribus pateant, operam rectores danto.

Earum fenestræ, in primis verò quæ altaribus proximæ sunt, ad ventum, & aquam pluuiam arcendam, vel vitreæ, vel linteæ, cera candida circumlitæ sunto.

Si altare aliquod ex sacro, & religioso profanum erit faciendum, id quod absque nostro permissu, ac concessu nemini fas, aut ius, esto sacerdos precibus prius suppressa voce Deo factis, deinde diui illius, cui altare fuerat dicatum propria, si extet, vel si minus extet, communi oratione vnà cum versiculo, ac responso recita, sacrum lapidem, seu mensam vndique abluito, linteo mundo extergito, lapidem ipsum admota manu ipse prius amoueto; reliqua deinde cæmentarij demoliuntor. Sacros cineres, vel ossa, cæteraśque sanctorum reliquias, quæ sub lapide fuerint repertæ, reuerenter, ac diligenter sacerdos asseruato, & cuius ea sint generis, nos quàm primum certiores facito.

Fores ad nefarios sceleratorum conatus comprimendos, & improbitatem coercendam, semper (eo excepto tempore, quo Missæ celebrantur, omniaque diuina officia Deo persoluuntur, ac solemnibus diebus cum populus frequens adest) aptissimè clausas habēto.

Sepulcra vel monumenta è pauimentis eminentia demoliuntor, neque subter illis nouum eiusdem generis opus, nobis inconsultis, molitator.

Quoniam verò sicut Ecclesiarum, ita etiam sepulcretorum, seu cæmeteriorum seruanda honestas est; eam ob rem statuimus, vt cæmeteria ipsa vndique muro sepiantur, ac cingantur, eorumque portæ clausæ habeantur, ne pecus, armentumue, illùc ad pabula ingrediantur, mortuorumque cineres canes seu lupi turbent, atq; ossa eruant. Cauemus præterea nè ibidem tripudia, commessationes, agrestium colloquia, rerumque venditiones, & emptiones fiant: nè vè triginta propè Ecclesiam, aut cæmeterium passus,

pilæ, & id genus aliorum ludorum ludum ludere fas sit, ne vè segetes triturari, ventilariuè; aut tale aliquid, quod in prophanos vsus comparatum sit, haberi liceat. Si quis contra faxit, sancimus, vt quicquid illud fuerit; quod illùc sit importatum, id omne diuendatur, & pecunia in Parœciæ pauperes erogetur, nè citato quidem, monitoue eius rei domino.

Ad hæc caueant, nè sacras vestes, vasa, ornamenta, quæ diuino cultui sunt dedicata, in prophanos, vel proprios conferant vsus, aut in cibum, ac potum illis abutantur. Sacerdotalia verò indumenta, & quæ ad Missæ sacrificium sunt necessaria, libros, vasa, cætteraque alia, quæ paruo sumptu resarciri, eademq; munda, pura, integraque conseruari possunt, rectores ipsi suis sumptibus si æditui in ea re negligentes, vel difficiles fuerint, resarciãt, ac conseruent. Qui tamen sumptus ab æditius ipsis vt eis præstentur, mandamus. Ad extremum in vnaquaque Ecclesia, etiam si animarum non sustineat curationem, sacrarium vnà cum sacra cloaca exædificandum curent, modò vt ad opus eiusmodi Ecclesiæ suppetant facultates.

Quoniam autem, quemadmodum Ecclesiarum bona sarta tecta conseruari decet, ita earum onera, nec non altarium sustinere, æquum est; eam ob rem præcipimus omnibus rectoribus, vt in suis Ecclesiis, animarum curandarum munus sustinentibus, nec sustinentibus, alteri coniunctis, nec coniunctis, ad altaria, quæ Ecclesiæ tutelaribus Diuis sunt dicata, festos eorum dies Missis, vespertinaquè psalmodia solemni ritu decantandis celebrent.

In Ecclesiis verò alteri coniunctis seu annexis bis saltem in mẽse (nisi melior maneat consuetudo) Missam item celebrent, populo prius ea de re monito, vt ad eam audiendam certo die frequens conuenire possint.

Altarium mensæ tres cubitos, minimum, longæ, latæ sesquicubitum sunto. Sacri lapidis, longitudo cubiti; latitudo quarta parte minor esto: ex marmore autem tantum esto.

Vt autem festis, qui Diuis tutelaribus dicati sunt diebus clariora spiritualis lætitiæ signa dentur, volumus, vt illis ipsis diebus, nec non Paschatis, Pentecostes, Natalis, Corporis Christi, Assumptæ in Cœlum Virginis matris, Ecclesiarum valuæ, atque

adeo ecclesiæ ipsæ myrto, frondibus, floribusque spargendæ, ac tapetibus pro locorum ratione, ac facultate sternendæ, atque exornandæ à Rectore curentur.

Diem verò festum Dedicationis ab omni populo in qualibet Parœcia pro ratione, & modò colendum, & in qualibet Ecclesia, quæ consecrata fuerit, pluribus Missis (quarum vnam solemniter, cum vespertina psalmodia decantandam mandamus) quotquot annis celebrari iubemus.

Missas insuper, cæteraque diuina officia in honorem sanctorum, quotquot annis celebranda, & anniuersarias mortuorum eleemosynas, quæ vel ex fundatione, vel dote, aut ex legato debentur, omnino erogandas, & horum omniũ Cathalogum in albo, quod in sacrario publicè proponi volumus, vt cuique cognoscendi sit potestas, scribendum præcipimus. Quod si Ecclesiarum Rectores vel sacrariorum custodes in his vel negligenter, vel dolosè egerint; non modo fructuum subtractione, sed beneficiorum priuatione, aliisq; etiam pœnis pro arbitrio eis à nobis infligendis punientur.

De bonis immobilibus, & mobilibus Ecclesiasticis non alienandis, deque eorum inuentario, & terrilogio.

CONSTITVTIO LXXI.

PRohibemus omnibus sine vllo delectu, ac discrimine, capitulis collegijs, vniuersitatibus, Ecclesiarum hospitijs, ac religiosorum locorum Rectoribus ne vel per se vel interpositam personam sacra vasa indumenta, libros, aliaque quæuis bona, quæ manu tradi possunt, seù (si quis id malit) mobilia, cuius illa cunque fuerint generis, modò vel ad Ecclesias, altaria, religiosa hospitia, vel loca, aut ędes, quas Canonicas vocant, pertineant, eisque sint addicta, ac mancipata, ne vè agri iugera, culta, possessiones, domos, & id genus alia, quæ solo adhærent, seù immobilia bona illi vel laico, vel clerico, collegio, vel vniuersitati absque permissu vel sanctæ sedis Apostolicæ vel nostro vendere, pignori, hypotecæuè dare, permutareuè, aut denique alio quouis nomine, ac titulo, modo & ratione alienare audeant, sed ea sarta tecta seruare, ac tueri

ri studeant, ac pro viribus conentur. Proponimusque contrafacientibus interdicti, vel excommunicationis pœnam, pro ratione ac modo, quà à nobis ipsis tantum eos liberari posse volumus, præterea nemine, restitutis videlicet Ecclesiæ rebus, præstitoque eidem damno, ac detrimento sarto. Monemus autem, ac paternè omnes cohortamur, caueant, nè vel auaritia, vel cognationis affectu impulsi, ea ipsa, quæ solo adherent, bona, vel in longum tempus cuipiam in Emphytheosim dent, minori, quàm iustum fuerit, vectigali soluendo (nisi ea res manifesto Ecclesiæ vsui, atque vtilitati sit futura) vel sacrorum canonum, ac nostræ, quæ infrà apponetur, constitutionis non seruata forma.

Quod si secùs faxint, seuerè ex Paulli secundi, & quarti, maximorum Pontificum decretis punientur: & quicquid fuerit ijs ipsis de rebus contractum, id omne irritum, nullumque erit.

Omnibus prætereà Capitulis, collegijs, vniuersitatibus eorumque præfectis, Canonicis, Cappellanis, Aedituis, sacrorum hospitiorum præpositis, & societatum administratoribus, quos Sixti Quinti Pont. Max. constitutio complectitur, præcipimus, vt qui codicem, quē vulgo Terrilogium appellant, non habent (in quo bona Ecclesiarum, ac religiosorum locorum immobilia, eorum mensuræ, latera, fines, nomina tabulariorum, seù instrumentorum notæ, locationes, Emphyteoses, nomina eorum, qui possident, & qui possiderunt nec non colonorũ, frugum, fructuumq; vis, ac numerus, & deniq; tota ipsorum bonorum ratio, ac status describi in eumq; referri diligenter debet) eum ipsum codicem adhibitis, vel mensoribus, vel alijs eius rei peritis viris conficiendum curent, idque intra annum ab hisce editis constitutionibus. Atque intra trium mensium spatium, qui in posterum sacerdotia fuerint consecuti, ij à die possessionis occupatæ idem vt faciant, si ab eo, cui ipsi fuerint suffecti, minimè factum fuerit, mandamus. Eius autem codicis vnum exemplum Rectorum vel Gubernatorum, aut Aedituorum chyrographo signatum, ac munitum, sancimus vt nobis in Tabulario Episcopali asseruandum tradant. Et alterum penès se habeant. Proponimus autem ijs, qui contra faxint pro modo, ac ratione suspensionis, quam vocant à diuinis pro nostro arbitrio, vel interdicti pœnam (quorum alterutro eos statim teneri declaramus)

mus) & viginti prӕterea aureorum nummûm multam.

Quam tandem subeundam esse declaramus Ecclesiarũ ӕquè, ac religiosorum locorum prӕfectis, atque administratoribus, qui quot annis Februarij mense singulas locationes emphiteosis, emptionis ac vendicationis tabulas, quas à nostrӕ curiӕ scribis, gratis conficiendas, & ad calcem Terrilogij apponendam mandamus, nobis non tradiderint.

Si autem vel morte prӕoccupante, atque antevertente, vel negligentia contigerit, vt ij nullam in testamento neque de Terrilogio, neque de cӕteris tabulis, chirographis, & syngraphis ad ipsas Ecclesias pertinentibus mentionem fecerint; prӕcipimus omnibus hӕredibus tàm laicis, quàm clericis, vt intra octo dies à morte ipsorum numerandos illa omnia successori, aut nobis reddant, atque assignent. Secùs si faxint, nouerint, se iam à communione fidelium esse seiunctos, quemadmodum nos perindè, ac si tèr fuerint ea de re moniti, seiungimus, ac segregamus, & alijs prӕterea pœnis esse plectendos.

Omnes autem, qui sacerdotij participes sunt iterum, atque iterum obtestamur per viscera Domini nostri Iesu Christi, eorundem tamen conscientiam onerantes, vt proposita hӕredibus hӕreditatis amissione, vel alia grauissima pœna, eos compellant, ad libros, tabulas, chyrographa, syngraphas, & id genus alia iura in testamento commemorata & numerata (vt nos, & numerari, & circunscribi volumus) intra ipsum temporis spatium vel nobis, vel ei, qui in illorum locum successerit, re ipsa reddant. Quod si per dolum id facere omiserint; sciant, se neglecti Christi Patrimonij omnipotenti Deo reddituros esse rationem.

At si quis tanta prӕceps temeritate feratur, vt in Terrilogio conficiendo, Ecclesijs ipsis fraudi sit; is ea afficietur pœna, quę à synodis tum Agathensi, tum Aurelianensi in eiusmodi homines est constituta.

Cum verò in Ecclesiӕ beneficij, vel sacri hospitij possessionem quis venerit, eamque sine controuersia, ac quietè possidebit; sancimus, ac mandamus, vt & rerum omnium Ecclesiasticarum, mobilium, & earum, quӕ domus sunt Canonicalis repertorium, Aedituis prӕsentibus conficiant, & confectum subscribant, & eiusdem exem-

plum

plum ipsis Aedituis tradant, ac relinquant, atque eiusmodi repertorium ab vnoquoque, qui Parochi vicem gerit, seù Cappellano confici, & successori tradi, atque assignari volumus, præsertim verò voluminum, in quæ Matrimonia, & qui baptizantur, ordine referuntur. Quod si quis secùs faxit, is neque in posterum animarum curationi præficietur, & in carcerem contrudetur, mensem ibi integrum futurus.

Ne bona Ecclesiastica inter emphiteotas diuidantur, nec eorũm fines mutentur, & quæ triginta passus propè Ecclesiam, Aedes Canonicas, aut hospitium sunt, in emphiteosim minimè concedantur.

CONSTITVTIO LXXII.

Cauemus ne bona Ecclesiastica in emphiteosim, vel locationem concessa à quoquam pignori tradi, in dotem assignari, vendi, permutariuè, vel vtile dominium in alium transferri liceat, caussis tantum, quæ iure permittuntur, exceptis, absque illius, qui proprietatem habet, & directus dominus vocatur, consensu, ac permissu, neque ea iure concessa videri declaramus, ex quibus à conductoribus proprijs ipsorum bonorum dominis vectigal nequaquã pendatur: fit enim non sine fraude, ac dolo, vt qui Episcopatus exempli caussa fundum conductum possidet, alicui alij pio loco vectigal soluat. Qui verò alterius pij loci conduxerit bona, Episcopatui illud pendat.

Si quem autem in vno aliquo horum criminum deliquisse constiterit, hunc & omnia iura amisisse, & contractus ipsius, vel emphiteosis, vel locationis irritos, nullosque esse, & bona ipsa ad directum dominum rediisse æquè nunc anteuertentes declaramus, atque tunc declaremus.

Quoniam autem ob agrorum inter ipsos emphiteotas diuisiones, eorum fines minimè regi possunt, atque eam ob caussam bona vel facillimè amittuntur, vel temporis decursu perpetua ex ijs iurgia, ac lites existunt, non sine magno Ecclesiarum detrimento, ac damno,

no, quodque plures in partes sunt diuisa minoris esse constet, eam ob rem cum contra Ecclesiarum, cæterorumque piorum locorum maximè intersit, vt eorum bona omnis prorsus diuisionis sint expertia, & integra penes vnum duntaxat conductorem, atque hunc primo loco natum conseruentur, quemadmodum in fundis, ac prædijs fit clientelaribus, seu feudatarijs; cauemus, ne eiusmodi bona absque directi domini consensu, de quo ex publicis scribæ monumentis, ac tabulis constet, emphiteotis, siue conductoribus diuidantur. Quod si à quoquam secus fiat, hunc in commissum statim incidisse, declaramus.

Monemus præterea omnes sine exceptione emphiteotas, ac bonorum Ecclesiasticorum conductores, ne posthac absque eodem directi domini consensu fundorum formam extinguere, mutareue audeant, veluti syluam cædendo, eradicandoue, pro eaque vineã ibidem conserendo, aut arbores in tabulis descriptas extirpando, veteres scrobes, foueasue mutando, nouasue ducendo, aut aliquo alio modo in aliam formam reducendo, quod si quis contrafaxit, in hunc ijs agetur pœnis, quas sacræ comminantur constitutiones.

Capitula verò, collegia, vniuersitates, omnesque Ecclesiarum præpositi, nec non piorum locorum administratores, qui in contractibus hæc apponere neglexerint, quoties neglexerint, toties viginti aureorum nummûm multa multabuntur.

Nostræ verò curiæ scribæ, qui eas ipsas conditiones in tabulis conficiendis non adscripserint, & Parochi, qui de his omnibus ter, aut quater in anno inter sacra missarum solemnia populum non monuerint, pro arbitrio nostro punientur, ac plectentur.

Ad hæc qui bona, quæ Ecclesiæ cœmeterio, vel hospitio, ædibusuè, quas canonicas vocant, vel quæ ad hospitia pertinent, triginta passus proxima sunt, in emphiteosim, locationemuè longo tempore definitam tradere, aut alio modo alienare ausi fuerint, ij, quicunque fuerint, siue ex capitulis, siue ex collegijs, siue ex vniuersitatibus fuerint, excõmunicationis, vel interdicti pœna, & quinquaginta aureorũ nummûm multa seminario addicenda plectẽtur, contractus verò irriti, nullique omnino erunt, neque conductor ipse, vt vectigal pendat, vllo, vt nos cauemus, pacto cogi poterit.

Declaramus insuper, eos omnes fundos, agros, ac prædia, &

bona in hac constitutione contineri, quorum pars aliqua triginta ipsos passus ecclesijs, cæmeterijs, hospitijs atque ædibus, de quibus supra commemoratum est, proximè accedunt, nec cuiquam fas esse eorum partem vllam diuidere, neque à toto seiungere sic, vt triginta passuum spatio relicto, sibi licere quis putet, quod reliquum est, alienare posse: quod idem intelligi volumus etiam si bona ipsa à publica via, aut longè absint, aut longè abesse videantur.

Ne quis fundos, bona, tabulas, seù syngraphas, ad Ecclesias, vel religiosos locos pertinentes, occultet, neque ea clericorum filijs ex coitu damnato natis locentur.

CONSTITVTIO LXXIII.

CVm in nostra Diœcesi sint, quemadmodum accepimus, qui publicas tabulas, testamenta, syngraphas, prouentus, possessionis iura vectigalia mobilia,equè, atque immobilia bona, quę ad Episcopatum nostrum, capitula, seu collegia, Monachia, seu cęnobia, Ecclesiarum Aedituos, societates, seù confraternitates, hospitia religiosa, cęteraque eius generis loca pertinent, retinere, atque occultare, vel occultanda mandare, vel vt occultentur authores esse, non sine animarum suarum periculo, maximoque Ecclesiarum ipsarum damno, ac detrimento, minimè vereantur; eam ob rem nos per viscera Domini nostri Iesu Christi omnes obsecramus, atque obtestamur ne quicquam talium rerum occultare, aut vsurpare vllo modo velint: sed, vt pios, ac Deum verentes decet, quæ Ecclesiis, cęterisque religiosis locis sunt dicata, ea nobis vel Eclesiarum rectoribus, ad quos redire debent, indicent vel reapse restituant, ac restituenda curent. Quod si contra à quoquam pru prudenti, ac scienti siue laico, siue clerico factum fuerit, neque inter ipsum, eosquè, ad quos illa spectant, de frugibus, & fructibus iniustè perceptis damno accepto amicè fuerit compositum, atque conuenerit; is nouerit, se excomunicationis sententia, quam ex nunc prout ex tunc in his constitutionibus aduersus eundem pronūciamus, damnari; cuius à nobis tantum absolui posse declaramus, prætere nemine, ea que etiam lege teneri eundem volumus, vt omnia damna reficiat, atque præstet.

Om-

Omnibus præterea sine vlla prorsus exceptione prohibemus, ne Ecclesiarum, piorumque locorum fundos, ac bona clericorum filiis, qui ex damnato scilicet coitu nati sunt, locent; idque neq; recto ordine, neque obliquo, veluti per interpositam personam, quæ bona ipsa ea lege conducat, vt illa eiusmodi filijs restituat. Quod si contra à quoquam fiat, & contractus omnes irritos, nullosque declaramus, & qui de illis ipsis restituendis bonis fidem suam interposuerit, eum nos vigintiquinque aureorum nummûm multa multamus, ac coercemus.

De Ratione, ac modo Ecclesiastica bona, & religiosos locos in emphytheosim concedendi.

CONSTITVTIO LXXIIII.

QVoniam vbi maius periculum impendet, ibi cautius est agendum, & rebus in posterum longius prospiciendum; eam ob rem nos his iniquis temporibus, corruptisque moribus ita cogentibus, præcipimus, vt in Ecclesiarum piorumq; locorum bonis permutandis, uel etiam in emphytheosim concedendis ea posthac seruetur ratio, ac modus, qui in Sixti Quarti Pontificis max. litteris, ac constitutione olim præscriptus est, cum ea res Lucensibus Episcopis concessa fuit, atque vt omni fraudi, ac dolo, quoad eius fieri potest, occurratur (agitur enim hac in re Christi patrimonium) mandamus vt siuè clerici, siuè laici fuerint, qui ad bonorum æstimationẽ faciendam lecti sint, ubi ex bona fide æstimauerint; ad nos, uel summum nostrum Vicarium, tum de fundo tum de ipsius uectigalibus ipsi præsentes, ac iurati referant, ex earundem litterarum præscripto, ipsis diligentissime seruando. Declaramusque, fidem posthac æstimatorum relationibus minimè habitum iri, quæ chirographo non contineatur, & nisi eorum alter saltem nos ea de re præsens doceat. Quod tamen ita intelligendum esse uolumus, si nos contra eiusmodi relationibus pro rei ratione, uel alia iusta caussa fidem habendam non rescripserimus.

Si uero constiterit, eos ipsos æstimatores in rem præsentem non iuisse, neque ex bona fide, atque ex eodem præscripto æquam æsti-

mationem habuisse, grauiter in eos ut animaduertatur, sancimus.

Prętereà, cum maximè uelimus, ut in posterum caueatur, nè uel temporis decursu, aut uetustate, aut uaria Rectorum successione, hominumque dolo, ac malitia emphytheosis contractuum memoriam ulla unquam deleat, aut obscuret obliuio, quemadmodum sępè contra Ecclesiarum, religiosorumque locorum rem, atque adeo contra diuini cultus existimationem usu uenire uidemus; eam ob rem sancimus, ac mandamus, vt posthac in pactis, & conuentis, quæ inter eos, qui de Emphytheosi contrahent, inibuntur, illud apponatur, post 29. singulos annos (quemadmodū in more, ac consuetudine, quæ vbique fere seruatur, est positum) emphiteosim recognosci, eiusque contractum renouari debere, ea adiecta pœna, vt is iure cadat, per quem steterit, quominus ea res fiat, modo ea ipsa de re fuerit præmonitus. Si verò secùs, ac sancimus factum fuerit, omnes huiusmodi contractus prorsus irritos, nullosque esse hac sanctione declaramus. Præcipimusque omnibus Ecclesiasticis personis, religiosorumque locorum præfectis, vt hęc omnia pro ratione, & modo diligentissimè seruent, proponentes ijs, qui contra faxint, pro arbitrio nostro pœnam.

De bonis Ecclesiasticis, in emphytheosim non dandis in fraudem constitutionis, seù bullæ Sixti Quarti.

CONSTITVTIO LXXV.

VT fraudi, quantum fieri potest, occurratur, cauemus, ne, si contingat, vt fundi, aliaque Ecclesiastica bona in emphyteosim dentur, aut locentur ex Sixti Quarti litterarum præscripto, ac bona ipsa pluris sint, maiorisque mensuræ, quàm vt in illis ipsis litteris præscribatur; cauemus, inquam, ne ij, qui in emphyteosim dant, aut locant, ea plures in partes quemadmodum dolo malo sæpiùs fieri accepimus, diuidant, atque deducant, & ita pluribus contractibus factis, pluribusque confectis, atque adhibitis supplicibus libellis, neque non semel porrectis, eisdem litteris fraudi sint, cum aliàs, si ea ipsa bona minimè fuerint diuisa, neque in emphyteosim concedi, neque locari fas esset. Quæ verò

iuxta

iuxta eandem bullam danda, aut locanda erunt, ea ita demum dari, ac locari posse declaramus, si nullum omninò interponatur fundi permutandi, seù affrancandi (ita enim loquuntur) pactum.

Directum porrò dominium eorum bonorum tum quæ vsque adhuc in emphyteosim sunt data, tum quæ danda erunt, nemini omnino tradendum esse sancimus.

Fundorum autem, agrorumvè permutationes, tum demum fieri permittimus, si facilè appareat, perspicuumque sit, eas tum reditu, tum precio, atque æstimatione in rem Ecclesiæ futuras, modò vno, eodemque tempore, ac contractu, non secùs re ipse fiant. Si verò contra factum fuerit, iam decernimus, ac declaramus, contractus omnes irritos esse, ac prorsus nullos: & qui fundos ipsos concesserint, eos non solum 25. aureorum nummûm multa damnari, & à diuinorum functione sex menses, toties abstinere volumus, quotiès in eo peccauerint; sed etiam ea, si opus sit, lege teneri, vt contractus ipsos irritos, nullosque esse iudicis sententiam pronunciandam curent. Publicos prætereà curiæ nostræ scribas, qui scientes, supplicibus libellis, alijsque eiusdem generis confectis constitutioni seù bullæ fraudi fuerint, vel pactum de permutando in tabulis, monumentisque apposuerint, præter eandem qua eos damnamus multam, duos prætereà menses à suo ipsorum officio, ac munere abstinere volumus.

Atque, vt malitiæ hominum occurratur, sancimus ad hæc, vt cum ea ipsa bona in emphiteosim danda sunt, vel quoquo modo, alienanda, sanctæ Apostolicæ sedis assensus, ac comprobatio, cui libera, atque integra est reseruata, intra annum, ab illo, quo de emphyteosi contractum est, die eliciatur, omniaque, quæ ad eam rem pertinent omninò expediantur, atque absoluantur, nec longius tempus vllo pacto, vlla vè ex caussa ab eo, qui in emphyteosim concedit, aut eius procuratore, prorogetur. Eo autem tempore elapso, contractus huiusmodi, simplicis tantùm in triennium locationis, non etiam emphyteosis vim habere, atque alienationes irritas, atque adeò nullas esse, & laudimium, quod vocant, solutum, repeti nequaquam posse volumus, ac declaramus, & qui einsmodi bona alio modo, aut per se, aut per procuratorem concesserint, vel tempus absque nostro permissu prorogauerint, viginti

eos aureorum nummûm multa confestim multari. De quibus omnibus contrahentes stipulatorem scilicet, ac promissorem à notario, qui tabulas erit confecturus, vt præmoneantur, sancimus, ac mandamus.

De æstimatoribus bonorum Ecclesiasticorum, eorumque mercede.

CONSTITVTIO LXXVI.

QVuamuis operarius vt scriptum est, dignus sit mercede sua; tamen, vt nonnullorum auaritia, atque cupiditas restinguatur, declaramus, vt, qui in posterum arbitri lecti fuerint, per quos fiant æstimationes Ecclesiasticarum possessionum, quæ vel in emphyteosim dandæ, vel ex vera, ac solida permutationis caussa, sint concedendæ; si ea ab ipsorum habitatione, ac domo mille tantùm passuum ab esse constiterit, ijs ipsis arbitris in loco mercedis (si eam sibi constitui petierint) numerentur sestertij nummi sex, hoc est (vt ij ad nostræ pecuniæ æstimationem redigantur) Bologni ni, quos patrio sermone, appellamus, decem. Si verò tria millia passuum abfuerint, sestertij nummi nouem, hoc est Bolognini 15. Si autem longiùs abfuerint, quamuis longiùs absint; in singulos tamen dies sestertij nummi duodecim, hoc est Bolognini 20. numerentur: quibus victus, & equus, quæ æstimatorum vtrique præstari debent, accedet, præterea nihil. Si verò plus accepisse, exegisse vè constiterit, eos dupli pœna plecti volumus.

Ipsi tamen æstimatores illud in primis cauento, ne vlla probitatis specie ad bona ipsa æstimanda accedant, nisi prius viderint licentiam, ac concessum, cui nostrum, vel nostri vicarij chyrographum in calce libellorum supplicum sit appositum. Quod si secùs factum fuerit, æstimationē, quæ fuerit habita, irritam esse, ac prorsus nullam declaramus, etiam si supplices ipsi libelli ab aliquo, ex nostris notariis fuerint subscripti. Monemus porrò, eosdemmet æstimatores, vt Deum duntaxat sibi ob oculos ponentes, atque Ecclesiasticæ vtilitatis rationem ducentes, ipsi in rem præsentem eant, ipsi agros metiantur, eosque certis terminis definiant, ac circunscri-

scri-

scribant iustam fundi æstimationem faciant, vectigal, seu Canonem ex æquo, & bono æstiment, atque imponant, nullam laudimij neque soluti neque soluendi rationem habeant: & vterque de veritate nos doceat suo ipsorum chirographo in extremo eorundem supplicum libellorum, cum iure iurando apposito, & vterque vel alteruter, si minus vterque id facere poterit, eos nobis exhibeat. Si verò secùs faxint, ea lege teneri volumus, vt quicquid Ecclesiæ dederint damni, id omne præstent. Qui autem in rem præsentem non iuerint, & tamen iuisse falsò asseruerint, neque in æstimatione facienda ex æquitate egerint; ij & 20. aureorum nummûm multa multabuntur, & in carcerem impingentur, mensem ibi perpetuum futuri.

Ne Canonicales ædes, & quæ hospitiorum sunt, in emphiteosim dentur, neque mulieribus infamibus, cæterisq; huiusmodi personis locentur.

CONSTITVTIO LXXVII.

TVrpe, & inhonestum est, ædes, quas Canonicas vocant, Ecclesiarum, & piorum locorum ministris addictas, famosarum mulierum, & id genus aliarum personarum fieri domicilia: videmus enim nostra hac tempestate non sine magno animi dolore, parochos nonnullos ob eorum, quorum in locum ipsi sunt suffecti, auaritiam, qui non fundos modò, atque agros; sed ipsas etiam canonicales ædes in emphiteosim dederunt, ac permutationis titulo concesserunt, extra propriam Parœcia cum suo, ac populi incommodo habitare cogi. Nos igitur cupientes huic morbo salutare remediũ adhibere, cauemus, ne quis beneficij Ecclesiastici compos, vel alioqui pij loci administrator, quicunq; ille sit, seu ex capitulo, seu ex collegio, aut communi, seu vniuersitate aliqua, canonicas, pijq; loci domos vendat, permutet, in emphyteosimuè det, aut cupiã in longum tempus concedere audeat. præterquam Ecclesiasticis personis, atque ijs in tres tantum, non amplius annos; hac tamen lege, vt ne domos ipsas famosis mulieribus, aut alioqui male audientibus ne ad breue quidem tempus locare. Proponimusque ijs, qui

con-

contrafaxint, tùm excommunicationis, & interdicti pœnam; tùm verò 25. aureorum nummûm multam.

Ne clericorum patrimonijs à laicis tributum imponatur.

CONSTITVTIO LXXVIII.

CVm his iniquissimis temporibus facile appareat, nonnullos laicos, præsertim vero rusticorum cõmunia, seù vniuersitates in dies magis exhaurire clericorum bona, non modo Ecclesiastica, sed etiã quæ ipsis à patribus sunt relicta, atquè adeò illis, quorũ titulo ad maiores ordines ijdẽ promoti fuerunt varijs modis tributa, atq; census imponere, nihil pensi habentes, id non modo nequè diuino, neque Cæsareo, ac Pontificio iure sibi licere facere, sed ea ipsa etiã, quæ die Dominicæ cænæ legi consueuit, constitutione omnino caueri; eam ob rem hortamur omnes tùm magistratus, tùm ipsorum administratores, atque vniuersitates, vt eiusmodi bona omni prorsus censu, ac tributo liberent, caussis tantum, quæ iure non vetantur exceptis, ne Deum, Ecclesiasticamque immunitatem lædentes, in earum, quas supra commemorauimus, censurarum laqueos se se induant.

Illos præterea monemus, qui patrimonij titulus eisdem maioribus initiantur ordinibus, vt patrimonium eiusmodi suum apud censores, ad quos ea res pertinet à tributo vendicent, quamuis etiam cum patre, ac fratribus viuant, atque habitent. Quod idem vt faciant, ijs etiam mandamus, qui ex Tridentini Concilij decretis Ecclesiasticam immunitatem habent. Quod si facere neglexerint, aut omiserint, vt ea ipsa immunitas quid detrimenti patiatur, pœnas nobis arbitrarias persoluent, quamquam seuerè in eosdem animaduertetur, si dolo malo in eo genere vniuersitatibus, Rebusue publicis, vel principibus fraudi fuerint.

Ne

Ne Ecclesiarum, aliorumue beneficiorum vectigalia sine Episcopi concessu locentur.

CONSTITVTIO LXXVIIII.

VT à mala corruptaque consuetudine, quę in nostra Diœcesi increbuit, quantùm in nobis est, recedatur, ac ne Ecclesiæ, earumque bona corruant, dilabantur, dilapidentur, aut dissipentur, ne ve, quod caput est, animarum curatio ob Ecclesiarum ipsarum inopiam negligatur, ac flocci pendatur; prohibemus omnibus sine exceptione, capitulis, Ecclesiarum præfectis, Canonicis, ac Rectoribus, ne in posterum absque nostra licentia, ac permissu Ecclesiarum, altarium, sacrorum hospitiorum administrationem, vel eorum vectigalia laicis locare, aut eosdem ad eam rem procuratores constituere audeant, ita, vt procuratori liceat Proparochum, seù Cappellanum, asciscere, eundemque mouere, & quæ ad ceram, indumenta, ac tecta templi opus sunt, prouidere, nec ipse conductor domum Canonicalem ad longum, vel breue tempus alteri locare possit; statuimusque, contractus omnes, si contra factum fuerit, irritos, nullosque esse, etiam si iureiurando muniti, ac firmati fuerint: nec qui talia conduxerint, in ius vocari neque ad soluendum compelli posse volumus. locatorem verò ea sex in menses puniendum pœna, quam suspensionem à diuinis vocant, ac centum librarum multa multandos mandamus, in ipsius Ecclesiæ vsum, vtilitatemque conferenda. Vectigalia verò in triennium, vt suprasanximus, nostra cum venia vt locari possint, concedimus, atque permittimus.

Qui, & quomodo Aeditui, seù operarij sint creandi, & de rationibus administrationis ab ipsis referendis, ac reddendis.

CONSTITVTIO LXXX.

CVm vehementer, quemadmodum officij nostri munus postulat, cupiamus vt quantum in nobis est, tum Aedituorum saluti, tum Ecclesiarum vtilitati consulatur; in eorum, quorum

in locum nos fuimus suffecti, vestigijs insistentes sancimus, vt omnes ciuitatis, atque adeò totius Diœcesis nostræ Aeditui, seù operarij, cum primum rectore præsente, atque authore fuerint de more lecti, intra quindecim proximos ab lectione dies, ad tribunal nostrum se se sistant, atque bonis, vt in curiæ more est positum, prędibus datis, ecclesiæ caueant, ne quid ipsa detrimenti patiatur: iurentque verissimum, sanctissimumque iusiurandum, se bona fide, ac diligenter administraturos. Aedilitate porrò functi, cum ea abierint, statuimus, vt intra mensem rationes ferant, ac reddant, exponentes, atq; edentes, quid in ea à se gestum, administratumque fuerit, atque vt intra alium item mensem, qui proximè insequetur, si in putandis, subducendisque rationibus earum summa non quadrans, sed excurrens fuerit, sic, vt eos Ecclesiæ debere appareat; tum pecunia reliquum quod erit apud summum ædilitatum quæstorem, quem depositarium generalem operarum vulgus vocat, numerantes deponant, atque ad nummum persoluant.

Cauemus prætereà, ne nobis inconsultis, aut non permittentibus ædificent, nè vè vlla bona, quæ solo hæredant, hoc est immobilia, emant, vendantuè, permutentuè, pignoriuè, in emphyteosimuè dent, nè vè laudimia sibi habeant. Atque, vt pragmaticorum formula sæpiùs vtamur, ex nunc pro vt ex tunc, declaramus contractus omnes, si secus faxint, irritos esse, ac prorsus nullos, neque vllum emptori, aut conductori ius tribuere, etiamsi ij multos annos sine controuersia, ac quiete possederint.

Sumptus Ecclesiarum nomine, nobis inconsultis neque permittentibus, cauemus, nè faciant: vnos excipimus vsitatos, ac quotidianos. Qui verò in his omnibus constitutioni huic minime paruerint, aut non diligenter omnia seruauerint, ij ab Ecclesiæ ingressu vt statim abstineant, cauemus, ac mandamus. Si verò animo obstinato, obfirmatoque fuerint, præsertim verò, si duos intra menses munus suum ad calculos non reuocauerint, reliquumque, quod est, non persoluerint, vt par sit ratio acceptorum, & datorum, nec, quæ alienauerint, bona in pristinum statum restituerint; eos ex nunc prout ex tunc à fidelium communione seiungimus, ac separamus, declaramusque nunquam amplius ad ipsum ædilitatis munus legi posse.

Qui

Qui verò illud sine nostra confirmatione exercuerint, sancimus, vt sex menses Ecclesiæ aditu arceatur, omniaque, quæcunque gesserit, atque administrauerit, irrita, ac nulla esse volumus: & tamen ea lege teneri, vt rationes referat, & laudimiorum, quæ sibi habuerit, cæterorumque, quæ fuerint oblata, restitutio in duplum eat.

Eosdem etiam Ecclesiæ aditu idem temporis prohiberi volumus, si ab Ecclesiarum Rectoribus moniti, de ijs, quæ ad earum cultum, vsum, ac consecrationem necessaria sunt, prouidere neglexerint. Cauemus præterea, vt sumptus, quos æditui ipsi in dies fecerint, ab Ecclesiarum præfectis in volumen referendos curent. Quod si secus faxint, quum ijs caussa dicenda, seu quum sindicatus, vt vulgo dicunt, subeundus erit; ni qui sumptus rati habebuntur, & præfecti Ecclesiarum nostro arbitrio plectentur, si, quod æditui curauerint, ij neglexerint exhaurire.

Vt religiosorum hospitiorum præfecti hospitalitatem exerceant, ac seruent, & administrationis, quot annis rationes edant.

CONSTITVTIO LXXXI.

NVlli dubium est, quin publica religiosa hospitia, siuè Xenodochia in pios vsus sint extructa, ac vectigalibus locupletata: quàobrem sancimus vt omnes sine exceptione huius generis locorum præfecti hospitalitatem, ac benignitatem in omnibus, quæ ad se ex officij munere spectant, ac pertinent, seruent, ac tueantur: neque vlla eos impediat aut contraria, quæ maneat, consuetudo, aut longi temporis præscriptio. Prætereà mandamus, vt quotquot annis mense Martio perputatas rationes administrationis nobiscum, vel cum vicario nostro bona fide conferant. Secùs si faxint, cum semel, atque iterum fuerint ea de re moniti, sin minus paruerint, aut paruerint quidem; sed bona fide rationes non ederint; ijs plectentur penis, quæ à sacris sunt proposita constitutionibus.

Ad hæc mandamus, vt in omnibus eiusmodi locis, duo, monimum, conclauia, seu dormitoria, alterum maribus, fœminis al-

P 2 rum,

terum, parate, atque vt lecti honestè sint strati. Quorum quidem conclauium ostijs præcipimus, vt feras, ac claues addantur, pessula que obdantur, ne qua adumbrata probitatis specie mares cum fœminis, quamuis etiam essent coniuges, concumbant.

Monemus autem ipsorum locorum præfectos, eorumque administros. vt pauperes benignè excipiant, & quæcunque sunt necessaria, omnia illis studiosè, & amantèr prouideant, eosdemque comitèr omninò tractent. Contrà verò nebulones, tenebriones, morbum simulantes, lusores, blasphemos, & id genus alios ex locis emoueant, atque amandent.

Ad extremum præcipimus, vt supra singulorum hospitiorum foribus nomen grandioribus litteris inscribatur, ac Diui illius, in cuius tutela locus est, imago decentèr pingatur.

(.·.)

DE

DE ECCLESIASTICA IMMVNITATE.

TITVLVS SEXTVS.

Ne sanguinis iudicia in Ecclesiis exerceantur, neque rusticorum ibidem conuentus agatur.

CONSTITVTIO LXXXII.

PROHIBEMVS omnibus sine exceptione iudicibus, ne caussas, in quibus caput, vitauè agitur, vel quæ eas spectant, quæ ad corpus affligendum pertinent, pœnas, in Ecclesiis, aut earum ædibus, quas Canonicas vocant, vel alijs eius generis religiosis locis, exercere, aut de illis sententiam ferre audeant, neque eas etiam in Ecclesiis agere quæ merè ciuiles dicuntur. Turpe enim est, ac nefas, in locis, qui Deo sunt dicati, capitalia iudicia exerceri, deque criminibus ibidem quæstionem haberi. Quod si contra fa-xint, excommunicationis pœna eos damnari volumus.

Cauemus prætereà, ne cui fas sit sepulchra violare, cadaueribus eruendis, eidemque exenterandis, neque in Ecclesiis vulnera inspicere, aut ea incidere: neque quicquam deniqne eorum exercere, quæ ad cædis cognitionem, inquisitionemuè spectant, sine nostro potissimum permissu, ac concessu. Proponimusque, siquis contra faxit, eandemmet excommunicationis pœnam.

Rustici porrò, qui in Ecclesiam, aut eius sepulchretum, seù cœmeterium, vel atrium ad colloquium venerint, vt de publicis prophanis rebus agant, ac decernant, si semel id fecerint, primò ipsius Ecclesiæ aditu prohibebuntur: deindè verò si moniti desistere no-

voluerint, excommunicatione, vel interdicto generali plectentur. Clerici verò, qui talia permiserint, à diuinorum functionibus viginti quinque dies abstinebunt.

Ne Clerici à profanis iudicibus in ius vocentur, aut ad ipsorum tribunal pertrahantur, nec illis assentiantur, neque interrogentur, seù examinentur, nec à viatoribus comprehendantur absq; Episcopi permissu.

CONSTITVTIO LXXXIII.

QVoniam profanus iudex nullam prorsus in Ecclesiasticos neque in capitalibus, neque in ciuilibus caussis agendi, vel ipsis permittentibus ac consentientibus, authoritatem habet; præcipimus, omnibus eius generis iudicibus Ciuitatis, ac Diœcesis Lucensis, ne clericos, cæterasque ecclesiasticas personas in ius vocent, aut vocari permittant, vel ad suum ipsorum tribunal pertrahi, rapiuè iubeant, nisi si caussa subsit, quæ sacris canonibus non vetetur. Proponimusque ijs, qui contra faxint, eas ipsas censuras, ac pœnas, quæ à sacris sanctionibus proponuntur.

Clericis verò, qui vel præter caussas, quæ pontificio iure excipiuntur, vel nobis inconsultis, neque permittentibus, eius generis iudici fuerint assensi, eique se se, quamuis in caussa subiecerint, sacrorum ordinum functione tanquam indignis, quinquennium interdicetur, & ab ea, quam quasi iniuria affecerint, Ecclesia eiicientur. Quin etiam caussa se se cecidisse sciant. Quod non modo si eius ipsius caussæ rei, sed etiam si actores fuerint, intelligi volumus.

In capitalibus autem caussis, testimonia, aut pro testimonio dicere (quod vulgò deponere appellant) nullo modo volumus, nisi rei ex iusta caussa subleuandi, ac defendendi gratia. Sed in ijs tantum caussis, quæ nostra licentia (quam eis largiemur) fuerint permissæ. Secùs qui faxint, hi & canonum, & arbitrij nostri coercebuntur pœnis.

Si verò in ciuilibus sine nostro item concessu testimoniũ dixerint, duos ab ordinũ functione menses eis abstinendum fore declaramus.

Ad

Ad hæc viatoribus prohibemus, ne clericos vllo pacto absque nostro permissu comprehendant: sancimusq; in eos, si contrafaxint, excommunicationis pœnam. Si verò contingat, vt clerici ipsi in scelere deprehendantur, cauemus, nè viatores ipsi aliò, quàm in nostrum eos ducant carcerem, idque clàm, quoad eius fieri potest, atque modestè faciant.

Ne confugientes ad Ecclesias inde extrahantur.

CONSTITVTIO LXXXIIII.

CVm immunitas Ecclesiastica ad oppressorum refugium, ac tutelam sit data; precisè prohibemus, ac vetamus omnibus, tam Diœcesis, quam Ciuitatis Lucensis viatoribus, seù apparitoribus, ne quem ab Ecclesia, quò is confugerit, extrahere, nec ibi obsessum tenere, aut commeatu, ac victu, & ad victum necessarijs rebus prohibere audeant: cum qui sic agunt, homines videantur necare.

Cauemus preterea, ne res cuius illæ cunque fuerint generis, apud Ecclesiam depositæ, indè asportare, vel auferre audeant pretèr quàm ex ijs, quæ iure permissæ sunt, caussis. Qui verò contra fa-xint; ij excommunicationis, quæ latæ sententiæ, vel canonis dicitur pœnam se subijsse nouerint: qua quidem à nobis tantum eos liberari posse declaramus, præterea nemine; non ante tamen, quàm Ecclesiæ illi, cui iniuriam intulerint, cumulatè satisfecerint.

Vt clericus iniuria affectus, vel cuius Ecclesia sit polluta, aut eiusdem immunitas læsa, illius nomen ad nos triduo deferat, qui se scelere alligauerit.

CONSTITVTIO LXXXV.

QVoniam nonnunquam euenire consueuit, vt clerici non modo conuicijs onerentur, ac maledictis lacessentur, sed etiam, vt verberibus appetantur, atque adeò vulneribus percutiantur, & propterea, qui id sceleris admittunt, etiam si non promulgentur,

excom-

excommunicationis statim pœnam subeant, in qua inhereant, non sine magna animarum iactura, cum eiusmodi perpetrata scelera ad aures nostras non perueniant, vel ob clericorum plerunque timorem, vel ob pacem quæ statim insecuta est (ad quam tamen faciendam clericos ipsos cohortamur) eam ob rem nos cupientes fidelium animarum saluti prospicere, easque è communis hostis manibus extorquere, ac liberare, cum scriptum sit, nolite tangere Christos meos; sancimus, vt Clerici, quibus eiusmodi vis fuerit oblata, si in Ciuitate id tale contigerit, duodecim horarum spatio nomen ad nos deferat. Si verò in Diœcesi, triduò reum in iudicium nostræ curiæ arcessant. Qui contra faxint, ijs quinque aureorum nummûm irrogamus multam, sancimusque vt mensem præterea à diuinorum abstineat functione. Quam quidem pœnam ij subijsse se sciant, qui intra idem temporis spatium, eorum qui vel cœmeterium, vel Ecclesiam polluerint, aut eius læserint immunitatem, nomina non detulerint.

Ne Episcopatus Accensis, seù viatoribus vlla fiat iniuria, neque curiæ mandata impediantur.

CONSTITVTIO LXXXVI.

CVm insolentium quorundam, ac superborum audaciam comprimere cupiamus, ne vel temerè, vel confidenter agant, quæ ab æquitate longissimè absunt; præcipimus omnibus, sine vlla exceptione, tum laicis, tum clericis, cæterisque Ecclesiasticis personis, ne vel per se, vel per alios, ullo modo tribunalis nostri vel edicta, dicasuè, libellos vè, cuius illi cunque fuerint, vel sententiæ vel exempli, impedire audeant, quominus promulgentur, &, quò maximè spectant, non perueniant, cauemusque, ne nostros Accensos, seù viatores neque molestia, neque probris, contumelijsuè, neque verberibus accipiant. Si quis verò tanta fuerit temeraritate, ac confidentia, vt talia conatus fuerit, aut eiusmodi litteras, edicta, citationes, ac libellos monitorios, & id genus alia, concerpat, vel conscindat, aut per contemptum conculcet, ac proterat, vt authoritatem nostram imminuere videatur; sancimus,

tinus, vt si laicus fuerit, ab Ecclesiæ ingressu arceatur annum, si verò clericus bimestri carceris plectatur pœna, & annum à diuturnarum rerum abstineat tractatione.

Rogamus autem omnes nostræ Diœcesis magistratus, eorumq; ministros, cæterosque, qui iuri dicundo præsunt, vt nostri tribunalis accensos, seu viatores benignè excipiant, & admittant, eisq; ad nostra mandata exequenda, iniuriasque propulsandas, sua interposita authoritate, auxilium ferant, quatenus ab illis fuerit imploratum, ac quatenus ipsi necessarium esse intellexerint.

Contra violatores, & incendiarios Ecclesiarum, ac Sepulchrorum, & eiusdem generis sacrilegos.

CONSTITVTIO LXXXVII.

QVi Dei timore vacuus, & omni prorsus humanitate exutus, templis, sacris hospitijs, & id genus alijs religiosis locis ignem admouere, cæmeteria, vel sepulchra violare, aut in mortuorum cadauera sæuire, vel sepulta eruere, aut humo obruta extrahere, eademque dilaniare, & eorum carnem, vel ossa, ad sortes ducendas, vel manes euocandos, & ad veneficia, & cantiones rapere, indumenta præterea, vasa, ornamenta Ecclesiarum sacra, furari, aliaque sacrilegia, & eiusdem generis maleficia perpetrare, ac damna dare ausus fuerit; is statim excommunicationis vinculo, se obstrinxisse nouerit; quo à nobis duntaxat, non etiam ab alijs leuari posse sancimus, ijs priùs, quæ fuerint ablata, restitutis, ac damnis resarctis, ac præstatis, publicaque pœnitentia peracta: Quem tamen ab eo pœnarum genere, quæ ab huiusmodi grauia scelera sacris constitutionibus, sunt persoluendæ minimè liberamus: si verò clericus fuerit, in eum grauius etiam animaduertemus.

DE BENEFICIORVM COLLATIONE.

TITVLVS SEPTIMVS.

Qui ad dignitates, & Ecclesias, curationem animarum habentes sint admittendi, deq; fidei professione ab eis facienda.

CONSTITVTIO. LXXXVIII.

AD Paræcias, vel ad dignitates curationem animarum habentes, itemque ad canonicatus, reliquaque eius generis Ecclesiastica beneficia, quæ in cap. 12. sess. 24. Trid. Concilij comprehenduntur, nemo est admittendus, si eius, quam Concilium ipsum statuit, ac præscribit, non fuerit ætatis, neque optimis moribus, vita, ac peritia ab ijs, qui de ipsis inquirunt, quos examinatores vocant, fuerit iudicatus: etiam si ab ea ipsa gente, cui sacerdotij, ecclesiasticiuè beneficij conferendi ius fuerit (modò illud sit gentilicium, quod iuris patronatus vocant) præsentetur, ac nominetur.

Nam eò potissimum sacerdotia, Ecclesiasticauè beneficia eiusmodi instituta sunt, ac dedicata, vt qui ea possident muneri suo cumulatè satisfacere possint.

Alienos verò, atque aduenas ad ipsa eligi, vel nominari sine nostro permissu, ac concessu omninò prohibemus. Quod si contra factum fuerit; id irritum, nullumque esse declaramus.

Quibus autem fuerit vel dignitate, vel Canonicatu, aut eiusmodi sacerdotio, quod animarum curandarum, munus sustineat, prospectum, ac consultum; eos intra duos menses proximos Catholicam fidem vel apud nos, nostrorum Canonicorum collegium pro

ratione publicè profiteri, ac præferre, spondereque, & iurare volumus, se in sanctæ Ecclesiæ Romanæ obedientia permansuros, recipereque, & agnoscere Tridentini Concilij decreta, iuxta Pij Quarti constitutionem. Quod si secus faxint, neque sacerdotij vectigalia sua facere posse, neque adeptam possessionem eisdem suffragari volumus.

De examinatoribus promouendorum ad sacerdotia, quę animarum curandarum munus sustinent, & ne examinandi beneuolentiam ab examinatoribus captent, aut eorum animum munere deliniant.

CONSTITVTIO LXXXIX.

EXaminatores eorum, qui ad Ecclesias animarum curationem sustinentes promouendi erunt (qui quot annis ex sacri Tridentini Concilij decreto à Diœcesis synodo sunt approbandi) omni studio, ea seruanda curabunt, quæ eo ipso decreto sunt sancita: in examine verò pro prudentia, caritateque, sibi à Deo optimo max. tributa, & modo, qui paulò post præscribetur, agent. Hi autem ab vna lecti synodo, ad alteram vsque proximè insecuturam in officio, ac munere permanebunt. Si quis tamen eorum vitam cum morte interea commutauerit, alium in demortui locum sufficere nobis vnis fas esto, præterea nemini.

A Vicario item nostro, cęterisque alijs, qui eius generis examini fuerint præpositi, aut præponentur in collationibus, institutionibus, & confirmationibus cuiuscunque sacerdotij, etiam si animarum curandarum curationem non sustineat, vt in Tridentino Concilio cauetur, idem modus, ac ratio, quæ infra statuetur, obseruanda erit.

Primum tres, minimum, ex numero examinatorum legantor, qui neminem ad examen admittant, nisi qui vel à suo Parocho, & sui loci plebano, aut à viciniori (si ad eiusmodi sacerdotium admittendus erit) vel coràm, vel per litteras, si Parochus iustis de caussis, quominus adesse possit, impediatur, fuerit præsentatus. Quem quidem volumus, vt iurisiurandi interposita religione, corã

omnium fidem faciat, de quibus supra cautum est constitutione quarta. Mandamus præterea, vt testetur, cum ad 25. peruenisse ætatis suæ annum. Secùs si fuerit; nihil vltrà, statuendum, aut agendum sancimus, modo sacerdotium eius sit generis, quemadmodum supra dictum est, vt vel animarum curationem sustineat, vel dignitatem habeat, cuius caussa ille examini sit subiiciendus.

Quod autem attinet ad sacerdotium, quod animarum onus sustineat regendarum; præcipimus, vt ex præsentato quæratur, num aliud possideat sacerdotium, quod ipsius præsentiam in obeundo munere requirat: tunc enim ad simile non admittetur, nisi si illud quinquennium possederit, quemadmodum supra cautum est constitutione 69. Si verò responderit, se simplex sacerdotium possidere, siuè illud sit liberum, siuè gentilicium, quod iuris patronatus appellant; mandamus, vt rectè reputetur, atque expendatur, num illud ad eius vitam honestè sustentandam, suppetat; quod si suppetere fuerit iudicatum, neque ad aliud eligi, neque præsentari posse declaramus.

Ex eodem præterea vt quæratur, mandamus, nùm residere, curationemque per se sustinere velit, ac possit: nam si aut velle, aut posse negauerit, vel iudicatus fuerit minimè ad eam rem aptus; nihil erit, cur præterea interrogetur.

Porrò si ea, quæ dicta sunt, nihil iustè impediuerit; animaduertant diligentèr, secumque rectè reputent, an ad erudiendum, docendumque populum de ijs, quæ sunt ad salutem maximè necessaria, sit aptus: rogeturque de illis, quæ ad eiusmodi sustinendum onus requiruntur. Postremò diligentissimè quæratur, num ad sacramenta omnia, in primis verò Baptismi, ac Pœnitentiæ exercenda sit aptus: rogeturque de eorum vsu, de singulorum forma, ac materia, vt supra sancitum est constitutione quarta, vbi de sacerdotali dignitate agitur: omnesque interrogationes, & responsiones in volumen ad eam rem paratum à scriba referantur.

Videatur ad hæc, quo nam in ordine existat: ac si in subdiaconatu constitutus sit, diuini autem officij ordinandi, precumque recitandarum imperitus, ignarusque fuerit; eum nequaquam admitti volumus. Si autem sacri fuerit ordinis expers, atque in eiusdem rei ignoratione versetur, cum ea lege teneatur, vt à die,

qua

qua in sacerdotij possessionem venerit, diuinas quotidie preces, psalmodiamque recitet; mandamus, vt, proposita sacerdotij priuationis pœna, ei præcipiatur, præsbiterum habeat, qui cum eas quotidie recitet; donec ordinare didicerit: quo peccandi segetem, ac materiam sibi ipse subtrahat. Intra duorum autem mensium spatium mandetur ei, vt nobis se sistat, probaturus, se & ordinare didicisse, & quotidie recitare.

Si autem ex nostra non fuerit Diœcesi, rogetur, an habeat Episcopi sui litteras, quibus ei testimoniũ det, quæraturque, num à nobis licentiã obtinuerit: qui si neq; litteras recentiores habeat, neq; licentiam; nihil erit, cur præterea de eius peritia, aut doctrina quæratur. Qui autem ex nostra erunt Diœcesi, ijs semper, qui ex aliena fuerint, preferantur, modo satis digni, atque idonei iudicentur.

Vt autem cupiditati, atque ambitioni hominum occurratur, ipsorum verò examinatorum quieti, ac conscientiæ prospiciatur; præcipimus omnibus, sacerdotiorum vacantium competitoribus, qui in posterum vel examinari, vel à patronis præsentari cupient, ne precibus, muneribus, amicorum officiis, neque per se neque per alium vllo modo examinatorum animos venari, captare, lenire, aut corrumpere audeant, vt eblanditis, non enucleatis suffragijs, viam sibi ad sacerdotium impetrandum muniant. Quòd si quid vel ante, vel post examen dederint; sic habento, se æquè, atque examinatores, eam maculam (quod Deus auertat) concepisse, quam diuinarum rerum scriptores simoniam appellant: quæ non prius absolutione elui poterit, quàm sacerdotio eiusmodi arte adepto sese abdicauerint, examinatores verò satis omninò nobis fecerint.

Semèl autèm examinatum, vnius alicuius sacerdotij consequendi gratia, si fuerit reiectus, repulsamque tulerit, quod ineptus sit existimatus, hunc amplius eiusdem gratia examinari non posse declaramus.

In permutandis præterea sacerdotijs quando curationis expers, cum eo, quod publicam animarum sustineat curationem, & hoc ipsum cum eo, quod plebaniam vocant, erit permutandum; ille examinandus erit, qui horum alterum adipisci volet. Qui autem semèl ad par, aut simile, sacerdotium adipiscendum fuerint

exa-

examinati, nihil erit, cur amplius examini subiiciantur.

Examen porrò exerceri nequaquam volumus, nisi aut nobis, aut Vicario nostro præsente.

Concepta iusiurandi verba, quod examinatoribus est iurandum.

E G O N. Canonicus, uel iuris utriusque, uel sacræ Theologiæ Doctor à Diœcesis synodo lectus examinator eorum, qui ad sacerdotia sunt promouendi, per hæc sancta Dei Euangelia, quæ manibus teneo, iuro, me, quantum quidem humana imbecillitas fert, decretum 18. sess. 24. de refor. sacri Concilij Tridentini diligentissimè, atque inuiolatè obseruaturum: neque amicitia, odio, precibus, muneribus, quæ vel antè, vel post examen deferantur, locum relicturum: nec vnquam fore, vt his, aut leniar, aut flectar, aut corrumpar: verum ex æquo, & bono, atque ex cōscientia, qui sacerdotio dignior visus fuerit, de eo enucleatum omninò suffragium laturum: quin etiam de illis iudicium facturum, qui eblādito suffragio mecum egerint, aut per se, aut per alium, vt animū meum vel inflectant, vel adulterent. Ita me Deus adiuuet, & hæc sacrosancta Euangelia.

Vt qui sacerdotium obtinet, aliud eiusdem generis, quod in vno, eodemque ferri non possit (incōpatibile vulgò vocant) non antea adipiscatur, quam priori se se abdicauerit.

CONSTITVTIO LXXXX.

SAncimus, ac decernimus, ne vllus, qui possidet sine controuersia, tranquillè, ac quietè Ecclesiasticam præfecturam, dignitatem, Paræciam, perpetuum Vicariatum, vel eius generis sacerdotium, quod curandarum animarum sustineat onus, vel personæ residentiam postulett, aliud eiusdem generis, quod idem requirat, accipiat, vel ad illud anteà transeat, quàm priori se se abdicauerit, seu (si quis id malit) illud resignauerit. Si autem

vtrun-

vtrunque legibus à sancta sede Apostolica non solutus, seu non dispensatus, obtinere vitatur, vtroque ipso iure sine adiunctione priuetur.

Nihil tamen impediet, quòminus examini se subiicere possit, qui aliud sacerdotium, quod animarum curandarum sustineat munus vel residentiam requirat, consequi voluerit, modò prius quinque, minimum, annis possederit, neque vllum ei detrimentum intulerit, aut dederit damnum, sed aliquem in Ecclesiam, vel ipsius ædes, quam vocant, Canonicam, sumptum vtiliter impenderit.

Vt sacerdotia adepti, ad eos, quos ipsa postulant, ordines statim se promouendos curent.

CONSTITVTIO LXXXXI.

ANtiqui iuris est, & à sacrosancto Tridentino Concilio ad vsũ consuetudinemque reuocatum, vt Ecclesiasticam dignitatẽ, Canonicatum, vel huiusmodi aliud sacerdotium obtinentes, ijs ordinibus intrà annum se se initiandos curent, quos dignitas, Canonicatus, vel sacerdotium postulat, ac requirit. Nos, itaque, mandamus, vt, qui in præsentia talia possident, intra illud, quod nostro edicto sancitum est, tempus, ordines, qui necessarij sunt, suscipiant: qui verò in posterum eius generis aliquid possidebunt, intra annum ab eo, quo quietam possessionem fuerint adepti, id faciant.

Declaramus autem, ac definimus, necessarium ordinem, quod ad eos pertinet, qui animarum curationi posthac erunt præponendi, sacerdotalem esse: edicimusque, peruicaces, ac contra facientes, vectigalium interceptione, ac sacerdotiorum priuatione iuxta sacrarum decreta constitutionum (nisi si rite legibus fuerint soluti) à nobis esse coercendos: quæ quidem pœnæ illi etiam plectentur, qui in susceptis ordinibus se exercere neglexerint.

Ne

Ne Clericorum filij ex damnato coitu procreati ad paternas Ecclesias possint promoueri, neque in illis sacerdotium vllum, aut pensionem obtineant.

CONSTITVTIO LXXXXII.

CVm in Ecclesia Dei damnatum semper, ac vetitum reperiatur, præsbiterorum filios, qui ex damnato sunt coitu procreati, altaris ministerio inseruire, ne paternæ incontinentiæ exemplum laicis tribuant ad imitandum; cumque sacro sancta Tridentina synodus præcipuo prætereà decreto caueat, ne sacerdotia in Ecclesiis paternis, aut pensionem obtinere possint; operæ pretium esse nobis visum est, decretum ipsum hic ad verbum subiicere, vt omnibus palàm sit propositum: id igitur huiusmodi est.

Vt paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur; non liceat filijs clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio in Ecclesiis, vbi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere: quod si in præsenti Pater, & Filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio extra illam Ecclesiam intra trium mensium spatium permutare, aliàs ipso iure eo priuatus existat, & super his, quæcunque dispensatio subreptitia censeatur.

Ad hæc, reciprocæ resignationes si quæ posthac à parentibus clericis in fauorem filiorum fiant, vt alter alterius beneficium consequatur, in fraudem huius decreti, & Canonicarum sanctionum facta omninò censeantur, nec collationes secutæ vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcunque, quæ in fraudem facta fuerint, ipsis clericorum filijs suffragentur.

De

De continua residentia, de beneficiorum pluralitate, & de perpetuis Vicariis in beneficiis vnitis constituendis.

CONSTITVTIO LXXXIII.

CVm vehementèr cupiamus, vt nostræ Diœcesis oues à proprijs custodiantur Pastoribus, neque Ecclesiæ dignis fraudentur honoribus; sacrosanctæ Tridentinæ synodi vestigia persequentes, præcipimus omnibus tum Parochis, tum clericis animarum procurationi, dignitati, aut muneri Ecclesiastico in Ciuitate, vel Diœcesi præpositis, vt vbicunque pro ratione, ac modo ipsorum requiratur præsentia, ipsi resideant, ac permaneant in suis ædibus, quas vocant Canonicas, ibique pernoctantes tum cibum capiant, tum somnum. Quod si Ecclesia ædibus careat, neque intra parœciæ fines aliquas conducendas inuenèrint; domicilium aliquod viciniori loco conducant, munusque ipsi per se exerceant, neque ab Ecclesia discedant, aut quatuor amplius dies ab illa abesse audeant, nisi priùs caussa à nobis cognita, atque probata, chirographo licentiā obtinuerint. Proponimusque ijs, qui contra faxint, illam, quam synodus ipsa constituit, pœnā: declaramusque, vnumquemque ea lege teneri, vt simul, atque Ecclesiæ, quæ animarum curationem habent, vel eius sit generis, vt residendi onus sustineat, & possessionem fuerit adeptus, intra mensem, si ipse in Diœcesi fuerit, si extra, intra tres menses, nisi iusta caussa subsit, in ipsa resideat. Secus qui faxit, si tèr ea de re monitus, etiam si non coràm, sed per edictum, ad Ecclesiæ fores, vel vbi sacerdotium possideat, propositum, non paruerit, statim intelligatur, & re ipsa sit sacerdotio, dignitate uè, Paræciauè motus: neque ei quicquam proderit, etiam si studiorum caussa legibus fuerit solutus, nisi si verè, ac re ipsa vel theologiæ, vel iuris pontificij studijs in publico aliquo Gymnasio operā nauarit, eiusque rei nobis fidem fecerit, testimonio Episcopi illius, vbi fuerit Gygnasium, Ciuitatis.

Præterea cum ipsa sacrosancta synodus decreta sancinerit, vt non obstantibus (vt eius verbis vtamur) dispensationibus priuilegijs, & indultis, quæ à sancta Apostolica sede emanauerint, nemo præter vnam parochialem, vel curatam Ecclesiam, aut vnum be-

neficium, personalem residentiam requirens, possidere possit; omnibus nostræ Diœcesis tum præsentibus, tum futuris clericis mandamus, vt decretum ipsum quàm diligentissime obseruent: quòd si secus faxint, præter sacerdotij priuationem, in quam ex ipsius decreti vi incidunt; nostro prætereà arbitratu, veluti peruicaces, & minime obedientes, plectentur.

Quoniam porrò eadem synodus sanxit, vt in singulis sacerdotijs, quę animarum curandarum munus sustinent, tàm Cathedrarijs, quàm collegium habentibus, & Regularium, quos vocant, ecclesijs coniunctis, atque annexis, Vicarius perpetuus, vel tempore definitus congrua cum fructuum assignatione constituatur; eam ob rem mandamus omnibus, quos ipsa synodus complectitur, vt intra duorum mensium spatium idoneum præsbiterum, secularem pro secularibus, regularem, pro regularibus, Ecclesijs, pro ratione, ac modo nobis præsentent, vt ab examinatoribus examinati, & approbati, quemadmodum cęteri omnes, qui animarum curationi præsunt, eiusmodi sacerdotijs perpetui Vicarij legantur. Secùs si faxint, eo elapso tempore à nobis legentur: id quod fiet, quoties in posterum alicuius Vicarij morte insecuta, ij, ad quos lectio, ac vicarij nominatio pertineat, illud ipsum temporis spatium elabi permiserint.

Ne Vicarij proparochi, seu Cappellani, & Vicecurati, animarum curationem suscipiant, susceptamuè deserant sine Episcopi licentia.

CONSTITVTIO LXXXXIIII.

CVm multa iam detrimenta, & ab imperitis sacerdotibus, & ab alienigenis, incognitisque hominibus illata reperiantur, non modo regimini, & animarum curationi, sed etiam bonis, & ornamentis Ecclesiarum; nos & animarum saluti & Ecclesiarum damnis cupientes consulere, mandamus omnibus capitulis, collegijs, vniuersitatibus, Monasterijs, Conuentibus, tàm religiosorum, quàm sacrarum virginum, sororumuè, eorumque præfectis, cæterisque Ecclesiarum rectoribus, quibus vel ex iure, vel ex sancta

ctæ Apostolicæ sedis concessu, suas Eccl sias, vel Paræciæ, vel animarum curandarum munus sustinentes per alium regere, ac curare fas est, ne ipsi sibi Vicarium dent, aut Proparochum, seù (si quis id malit) Viceecuratum, aut Cappellanum, qui amoueri possit, nisi antea eum nobis stiterint, seù præsentauerint: vt examinato, ad eiusmodi curationem, siue Ecclesiam accedere liceat. Qui contra faxit, eum plecti, ac coerceri volumus, dimidia annui fructus illius, cui fuerit præpositus Ecclesiæ, ademptione.

Qui autem eiusmodi Ecclesiarum curationem susceperit, vel ab ea discesserit sine nostra scripto obtenta licentia; hunc si vnus aliquis fuerit ex nostra Diœcesi annum à Missa celebranda statim abstinere volumus. Si verò ex aliena, arbitrio nostro puniendum, ac plectendum, & à Diœcesi prætereà exterminandum sancimus. Quem quidem ea lege teneri volumus, vt bonorum Ecclesiasticorum, quæ soli non sunt, seù mobilia, repertorium, quod vulgò inuentarium appellant, faciat, vt infra habetur constitutione 91.

Priùs verò, quàm tempus elabatur, in quod Proparochus, vel Cappellanus fuerit à Parocho, Rectoreuè conductus, volumus vt hic si discedere velit, ante mensem missionem ab illo petat: ille verò hunc ante idem temporis spatium non excludat, si ipsius opera amplius vti nolit: vt neque alter intempestiua alterius discessione oppressus, Ecclesiam Proparocho orbatam, neque alter cui non sit fortè, vnde se commode sustentare queat, inhonestè mendicare cogatur. Sin autem impleto conductionis tempore proparochus remanserit in conductione, in tantumdem temporis eum reconductum esse videri, & censeri declaramus: ita vt neque ante ab ire, neque dimitti possit: proponimusque vtrique pro pœna annui salarij amissionem, alteri eorum addicendi, qui vel in fide permanserit, vel ad permanendum fuerit paratus.

De electione, & præsentatione, & ne sacerdotia accepta fiducia occupentur, idest, quod vulgò dicunt, in confidentiam non teneantur, & aduersus Ecclesiasticorum fructuum, & piorum locorum vsurpatores.

CONSTITVTIO LXXXXV.

SI qua fraus, pactio, aut conuentio simoniaca, vel iniusta, premium, vel minæ interuenerint, ita, vt cuiusuis sacerdotij vel curationem animarum habentis, vel non habentis, aut Xenodochij resignatio, lectio, præsentatio, institutio, & confirmatio, ritè, simpliciter, liberèque non præcesserint; Patroni laici, qui commiserint, vt id tale sit perpetratum, vel qui simoniaca labe fuerint conuicti, sacrorum Canonum, & decretorum Tridentini Concilij pœnis obnoxij sunto: si verò clerici fuerint, non modo à iure patronatus cadere, & excommunicationis pœnam subire, sed in carcerem etiam ad pœnitendum volumus contrudi, qui verò sacerdotium per summum simoniæ nefas fuerit consecutus; hunc illo spoliari, & alijs adipiscendis perpetuò inhabilem, perceptorum verò fructuum restitutioni obnoxium fore: eum autem, qui se se beneficio abdicarit, tum sacrorum Canonum, tum arbitrij nostri pœnis coerceri volumus.

Qui autem accepta fiducia, sacerdotium occupauerit, ijsdem, quibus simoniaci, plectetur pœnis: omnisque lectio, nominatio, præsentatio, institutio, & confirmatio irrita, nullaque esto. Patroni verò, qui tanti fuerint conscij facinoris, à præsentandi (sed tunc duntaxat) iure cadent.

Qui porrò agri iugera, fructus, sacerdotia, locaque religiosa vsurpauerint, quocunque vel nomine vel titulo id fecerint, etiamsi adumbrata donationis specie, excommunicationis statim vinculo se obligatos nouerint: quibus à Romano duntaxat Pontifice restitutis, ad quem pertinent, fructibus leuari possint, prætereà nemine.

Clericos item, qui ijs fuerint assensi, vel huiusmodi fraudum, ac fallaciarum fuerint architecti, ijsdem pœnis obnoxios esse, in posterum verò alijs sacerdotijs consequendis inhabiles perpetuo fore ex sacro Concilij Tridentini decreto declaramus.

Concepta iurisiurandi verba, quo deuinciendi sunt, qui ad sacerdotia eliguntur, ac præsentantur.

Ego N. præsentatus, electus, vel nominatus ad beneficium, animarum curationis vel expers, vel particeps, per hæc, quæ manibus teneo, sacrosancta Dei Euangelia, iuro, me vt illud obtinerem, vel vt ad illud eligerer, vel præsentarer, aut nominarer, nequè scientem, neque consentientem quicquam per me ipsum, aut per alium eius Patrono, aut collatori, cuiquamue alij ob eam rem promisisse, dedisse, aut illud vlla re compensasse, aut ante promissum, datumuè, ratum habuisse, vel penès quenquam deposuisse, mutuumuè dedisse, locasseuè, aut priùs mutuatum, commodatũuè, locatumuè, creditumuè remisisse, ac condonasse; nequè vllam Ecclesiasticarum ædium, prædiorum, agri iugerum, vectigalium, frugum, fructuumq́; decumarum, oblationum vllo vnquam tempore donationem, remissionemuè, locationemuè, promissionemuè fecisse, neq́; quicquam ea de re contraxisse, neq́; quenquam Patronorum perpetuum, vel tempore definitum procuratorem constituisse, neque vnquam constituturum; neque illud ipsum beneficiũ accepta fiducia, sed purè, ac liberè occupare. Ad hæc iuro, inmequè recipio, me beneficij bona nullo modo alienaturum, quin etiã iniustè alienata, quantum quidem in me erit, vendicaturum, ac recuperaturum, ita me Deus adiuuet, & hæc sacrosancta Dei Euangelia. Placet.

Ne quid ab ijs exigatur, qui vel in possessionem veniunt, vel ad Ecclesiasticas quotidianas distributiones admittuntur: &, vt ipsę iis tantum, qui diuinis intersunt, concedantur.

CONSTITVTIO. LXXXXVI.

IN omnibus ferè nostræ Ciuitatis, ac Diæcesis Ecclesiis, quæ collegium habent, vsu venit, vt qui vel in possessionem veniũt, vel ad quotidiana Ecclesiastica stipendia, quas distributiones vocant, admittuntur, vt pecuniarum aliquid soluere, aut aliquam ipsorum stipendiorum partem collegio remittere cogantur; id quod sacro-

sacrosancta Tridentina synodus tanquam offensionis plenum, ac simoniacum abusum ex Ecclesia Dei omninò tollendum diligenter mandat; quemadmodum etiam cauet, ne ijs eiusmodi stipendia impertiantur, qui diuinis non intersunt, cum nulla absentium ratio sit habenda: nos, igitur, cupientes omnem sordidæ auaritiæ suspicionem à nostris Ecclesijs propulsare, ac simoniacam labem Ecclesiasticis personis abstergere, diuinumque cultum, decorem, maiestatemque sartam tectam conseruare, atque tueri; præcipimus, ne in posterum vbi eiusmodi viget abusus, aut extat constitutio, à quoquam ob eius generis ingressum, vel admissionem quicquàm vel petatur, vel exigatur, vel etiam intercipiatur ijs diuidundum, qui sunt ex collegio, neque ad speciem probitatis in sacras vestes, vel Ecclesias inter se coniunctas, aut alium religiosum locum conferendum, ac conuertendum. Proponimusque, si contra fiat, non modo quas aduersus eiusmodi labem, ac maculam concipientes, & contra peruicaces, canones, atque adeò ipsamet synodus pro modo, & ratione constituit, sed etiam arbitrij nostri censuras, ac pœnas.

Cauemus item, ne ipsa stipendia ijs, qui à diuinis absunt, Canonicis, & id genus alijs, qui sacerdotium possident, siuè ij sint nostræ Cathedraria, siuè cuiuslibet alterius Ecclesiæ, quæ collegio sit ornata, quauis specie, aut collusione, præter quam in eo genere, quod iuris sit, remittantur, vel donentur. Neque his obstare vllo modo volumus, aut refragari collegiorum constitutiones, neque consuetudo, quæ huc vsque sit seruata. Quæ omnia hac nostra constitutione omninò abrogamus, inducimus, delemus, & iam pro abrogatis, inductis, ac deletis habenda mandamus, quemadmodum synodus ipsa Tridentina abrogat, inducit, delet.

Laicos præterea cuiuscunque ordinis sint, aut dignitatis, qui quauis probitatis specie, etiam si, vt offensiones vitentur, in vacuū sacerdotium sese intruserint, atque intulerint, & illius possessionem absque certa mercede legitimo rectori tradere noluerint; & ipsos, & eos, qui mandatum eiusmodi dederint; & ceteros omnes, qui vel ex sacerdotio ipso, vel ex ipsius ædibus, aut agro, quicquam asportauerint, aut consumpserint; posteaquam fuerint iuxta sacras constitutiones præmoniti, statim excomunicationi subijcimus, ablatisque restituendis dupli pœna multandos sancimus.

De

De Clericorum, qui sacerdotij compotes fuerint, morte non occultanda, deque eorum cadaueribus sepeliendis.

CONSTITVTIO LXXXXVII.

QVoniam verò nonnumquam fit, vt ordinariorum, ad quos sacerdotiorum collatio spectat, occultandis clericorum demortuorum cadaueribus authoritas, & ius imminuatur, cum eorum agnati, ac domestici christiana ipsos afficere sepultura eò procrastinentur, vt impetrationibus, & abdicationibus beneficiorum, quibus ipsi vel in Romana curia, vel alibi se se abdicauerint, vires, ac robur accedat, viribus ipsis alioqui carituris, clericorum ipsorum patefacta morte; nos eam ob rem, cum rebus præsertim spiritualibus dolum commoliri, aut fraudem ferre nefas sit, quæ nemini suffragari debent, quemadmodum, tum Cæsareo, tum pontificio iure cauetur (hæres enim defunctum non sepeliens, hæreditate priuatur, tanquam illa indignus, negligens verò grauiter multatur, cum corpora exenterare, & tandiu insepulta habere inhumanum propè videatur) nos, inquam, eam ob rem hac constitutione vires ac robur perpetuò habitura cauemus, ne quis defunctorum, qui sacerdotiorum compotes fuerunt, clericorum cadaueta, aut custodiat, aut occulat, seù custodienda, & occulenda mandet: sed curet, vt vel à nobis, vel ab alio ordinario, cui conferendi sit ius, vacanti Ecclesiæ proprio rectore prospiciatur. Quod si contrafactum fuerit, tàm clericis consentientibus, ac conscijs, neque nobis, aut nostro Vicario, eius rei indicium facientibus (etiansi ex ipsis de ea ipsa re non quæratur) quàm laicis tum maribus, tum fœminis proponimus excommunicationis pœnam ab eis statim subeundam, ac centum prætereà aureorum nummûm multam valetudinario, quod misericordiæ vocant, Ciuitatis addicendam.

Ad hæc clericos ipsos, præter dictas pœnas, sacerdotij prætereà ius amittere declaramus, quod ipsis est vel conferendi, vel in vrbe, aut alibi prouidendi, si fraude, ac dolo illud fuerint adepti; quod tamen cum hac exceptione est intelligendum, nisi à sancta Apostolica sede legibus fuerint soluti.

De simoniaca labe affectis, & quomodo conuinci possint, & ne falsò de beneficiorum vectigalibus affirmetur, vt maior illis pensio imponatur.

CONSTITVTIO LXXXVIII.

CVm animaduertamus, quantum simoniaca labes, quæ, quod ad sacerdotia pertinet, concipitur, à sacris tum concilijs, tum verò diuinarum rerum scriptoribus damnata reperiatur; vehemẽter miramur, homines tanta, tum auaritia, tum temeritate ferri, vt illa, quæ mera Dei sunt dona, æquè, ac merces pecunia nundinari, & quoquomodò contrahere non vereantur. Quod tamen eo fieri manifestum est, quia intelligunt, se difficile in iudicio conuinci posse, si clandestinis conditionibus, & ad speciem adumbratis pactis & conuentis id agant. Ne autem huiusmodi sceleris perpetrandi malis occasio præbeatur, atque vt horum iniquissimorum temporum calamitati occurratur; statuimus, ac sancimus, vt si quis, vel accusatus, aut ex officio de huiusmodi ambitu fuerit postulatus (cuiusquidem criminis genus pecunia, fauore, & obsequio committi solet) & uel dando, uel accipiendo, hoc est uel actiuè, vt dicunt, uel passiuè, in crimen venisse, aut conuictus fuerit, aut ipse confessus, sancimus inquam, ne & altaris ministerio, & sacerdotio ipso per summũ nefas acquisito moueatur; pecuniaque, cęteraque sine exceptione omnia, quæ ob illud obtinendum, à quouis seù laico, seù clerico acceperit, omninò restituat, quæ quidem uel in Ecclesiæ usus conferenda, uel in pauperes eroganda, ut nobis tunc magis necessarium uisum fuerit, declaramus.

Huiusmodi autem facinoris conciliatores, ut sunt internuncij, interpetres, scribæ, & id genus alij ea plectentur pœna, quæ à sacris constitutionibus est definita.

Atque, ut criminis reus facilius in crimine deprehendi possit; statuimus, ut quilibet ex his existimationibus, quæ ex uerisimilibus signis ducuntur, coniecturisq; ac probationibus conuinci queat, uidelicet.

Cum quis resignationem in sui gratiam sacerdotium ab extraneo fuerit consecutus.

Cum

Cum quis permutatione aliud duplo dignus, duploque vberius sacerdotium fuerit adeptus.

Cum, qui sacerdotium, abdicatione accepit, constituit perpetuum Vicarium, vel procuratorem, ad exigenda nomina eum, qui se beneficio abdicat, aut abdicantis parentem, aut fratrem.

Cum Ecclesiæ administratio, ac regimen penès eum remanet, qui liberè se se abdicat.

Cum sacerdotij vectigalia, atque emolumenta non exiguntur, nec re ipsa penès eum remanent, in cuius gratiam sacerdotium resignatur.

Cum eum, cui sacerdotium resignatur, vel ex publicis tabulis, vel ex syngrapha tantum pecuniæ numerum ei qui resignauit debere constat (caussa non expressa, vel expressa quidem, sed non probata) quantæ par sit, rationem haberi.

Cum is, qui se beneficio abdicauit, vel agri iugera, vel aliàs soli res, aut aliquid aliud eius generis, ab eo, cui sacerdotium tradiderit, fuerit consecutus.

Quibus quidem coniecturis, opinionibus, ac probationibus si vel omnibus, vel earum vni alicui testis vnicus, qui adfuerit, accesserit, aut tres locupletes atque idonei, qui, licèt non adfuerint, famam tamen exceperint, in eiusmodi permutatione, resignatione, præsentatione, institutione, vel collatione pecuniam fuisse datam, aut munera, pacta, conuenta simoniacasque pollicitationes interuenisse; tunc statim pro conuicto haberi, ac declarari, pœnisque paulò antè propositis, & qui dederit, & qui acceperit, puniri sancimus, ac iubemus. Qui si iterum fuerint de eo ipso crimine conuicti, ab Ecclesia arceri volumus, omni prorsus eis præcisa spe sacerdotali in posterum fungendi munere. Qui verò beneficij, quo vel se abdicare, vel quod consequi voluerit fructus, ac fruges fuerit mentitus, quod falsò affirmarit, eos vberiores esse, quàm reuera sint, vt grauior nimirum illis pensio imponatur, is sic habeto, se non modo eiusmodi labem concepisse, sed ipsius etiam beneficij priuatione coercendum fore.

Vt Tituli, ac sacerdotiorum diplomata exibeantur, & in curia Episcopali referantur in codicem, nullusque possessionem inconsulto Episcopo ingrediatur, de beneficiorum resignationibus promulgandis, deque scripturis, & vectigalibus Ecclesiæ vacantis successori relinquendis.

CONSTITVTIO. LXXXXIX.

CVm sit ad nos allatum, nonnullos absque Canonica institutione iniustè aliquando possidere in nostra Diœcesi sacerdotia, pensiones, & Xenodochia, seù hospitia religiosa statuimus, ac tàm nostra, quàm Apostolica authoritate præcipimus omnibus sine exceptione nostræ Diœcesis clericis, vt præsentes intra duos, absentes verò intra quatuor à die editarum nostrarum Constitutionum menses, sacerdotiorum, pensionum, ac Xenodochiorum, seu religiosorum hospitiorum, cuius illa cunque fuerint generis, quæ quatuor supra exactos annos possederint, titulum, ac iura, vel nobis vel nostro summo Vicario omnino exhibeant, & suo ipsorum sumptu in acta nostræ curiæ diem, quo diplomata ipsa data sint, referendum curent.

Idemque ab his fieri volumus qui in posterum beneficia fuerint consecuti idque intra mensem a die, quo in possessionem fuerint ingressi.

Nec vllus nobis inconsultis possessionem consequatur, nisi à summo Pontifice expresse hoc fuerit concessum. Proponimusque contrafacientibus, decem aureorum nummûm multam. Quod si moniti id neglexerint, vsque ad beneficij priuationem, in eos animaduertetur. Nostra enim interest scire, qui nam in Domini vinea opus nobiscum faciant.

Vt nemo præterea ad possessionem occupandam opem, auxilium vel profani magistratus implorare absque permissu nostro audeat, cauemus: proponimusq; ijs qui contra faxint arbitrij nostri pœnã.

Quoniam autem in sacerdotiorum resignationibus, ac iurium, quibus sacerdotia ipsa optimi sunt, cessionibus varia fraudum genera,

nera, ac doli multiplices in dies excogitantur, & excogitati adhibentur, sic, vt occupata quasi hæreditario possideantur iure, & interdum ex clandestina resignatione, pastore, ac rectore proprio non apparente in incerto sint; ne huiusmodi fraudes, ac doli in posterum oriantur, sed è templo, ac sanctuario Dei longe exterminentur, & hominum malitiæ occurratur, statuimus, atque hac vim suam perpetuò habitura constitutione cauemus, vt quæcunq; sacerdotiorum resignationes, ac cessiones factæ fuerint, apud Pontificem maximum sex intra menses, à die concessæ gratiæ, si verò apud ordinarium intra tres numerandos, in nostra Cathedraria Ecclesia, si in ipsa resignatum sacerdotium extet, si verò in alia; in dicta Cathedraria & Parœciæ Ecclesia, dum illuc populus ad diuina audienda conuenerit, promulgentur, vel ab ipsis, qui se beneficio abdicant, ac cedunt, vel ab ijs, quibus ceditur, vel à quouis alio, qui eorum nomine, ac mandato agat: idque tam grandi, ac clara voce, vt ad omnium, qui adsint, aures eam peruenisse verisimile sit, diplomataque ipsa in promulgatione exhibeantur, deinde eorũ descriptum exemplum ad Ecclesiæ valuas proponatur. Quique, beneficium fuerit consecutus intra idem tempus possessionem ingrediatur. Mandamusque, vt ipsi, quibus resignatur, seu ceditur, intra tempus paulò ante definitum eiusmodi diplomata in acta Episcopalis curiæ referenda curent. quæ secùs vel factæ vel promulgatæ fuerint cessiones; irritæ, ac nullæ sunto, beneficiumq; ipsum vacans esto, quemadmodum etiam Gregorij XIII. Pontificis libellis quartodecimo Calend. Februarij datis sancitum fuit 1584.

Cum autem rationi maximè sit consentaneum, vt, si Ecclesia rectore vacet, qui in eius locum fuerit suffectus; ipsius Ecclesiæ sacerdotij vectigalibus viuere possit; eam ob rem, vt controuersiis, quæ & sæpius ea de re aliàs ortæ sunt, & in posterũ oriri possunt, occurratur, animaduertentes, neminem eius Ecclesiæ curationem suscepturum, vnde victum sperare nequaquam posset, nisi vsque ad ineuntem annum, vt contingere facilè potest, si quis fructibus collectis, vel apud summum Pontificem, vel aqud nos sacerdotio se se abdicet, aut cò abeat, aut ad aliud transeat; sacrorum Canonum authoritatem, æquitatemque secuti sancimus, ut si in futurum

post Calendas Iulias id tale contigerit, rector, qui fructus perceperit, eorum tantum nouo rectori relinquat, quantum ad uictum suppeditandum, reliquaq; Ecclesiæ ipsius onera sustinenda insequēti anno fuerit necessarium, uel certè duos illi, uel quatuor ad summum arbitratu Episcopi aureos nummos, quoquo mense persoluat. Si uerò sacerdotium fuerit curationis expers; mandamus, ut is nouo rectori aureum unum tantum præstet, modo rectori, uel quotidie uel ter saltem in hebdomada ex munere suo sacrum sit faciendum. Ad quæ quidem omnia præstanda Ecclesiasticis etiam censuris cogi posse volumus, quicunque sacerdotio se quoquomodo abdicauerit. Si uerò non post Iulias, sed Apriles Calendas contigerit, ut quis sacerdotium uel resignet, uel deponat, tunc eum omni solutione, ac præstatione immunem, ac liberum declaramus. Si uero contigerit, ut præfectus Ecclesiæ, quæ animarum munus sustineat curandarum post Calen. sextiles, & ante Calen. Maias diem obeat suum, tunc ipsius heredes successori, uel Vicario ab Episcopo dando duos minimum, quatuor summum pro Episcopi arbitrio quolibet mense ad nouam usque messem nummos aureos danto, subducta tamen fruguum interim percipiendarū, modo solo adhereāt, ratione ad eius pecuniæ summam conficiendam, & explendam. Sacerdotij porrò fructus modo à solo fuerint separati & à debitoribus non exacti quocunque tempore rector obiuerit, hæredibus addicimus: cum ex composito, ac transactione, cum Apostolico ærario, ac fisco de clericorum spolijs inita ad ipsos redeant heredes, qui nisi omnes tàm priuatas, quàm publicas quæcunque ad Ecclesiam pertinebunt, syngraphas uel Episcopo, uel suæ classis prefecto, uel etiam successori octo intra dies gratis tradiderint, ijs plectentur pœnis, quæ Constitutione 99. proponuntur.

(∴)

DE

DE TESTAMENTIS ET PIIS LEGATIS.

TITVLVS OCTAVVS.

Ne quis ægrotos impediat, quominus testamentum faciant, ac sanctissima sacramenta percipiant.

CONSTITVTIO C.

VSQVE eò homines auaritia feruent, eiusque cæcitas illorum menti tantas interdum tenebras offundit, vt quid æquum, quid honestum postulet, atq; adeò quid humanum sit internoscere nequaquam possint. Sunt enim nonnulli, qui tanta cupiditate efferuntur, vt suum duntaxat commodum, vtilitatemque, non etiam ægrotorum indigentiam, atque ægestatem, nec animorum salutem spectantes, sed varijs eos fallacijs, ac dolis circum venientes, quominus testamentum faciant, impedire non vereantur. Nos, igitur, tanto sceleri obuiam ire cupientes præsertim cum, qui talia perpetrant, ęgrotos ipsos tanta afficiant desperatione, vt ij animæ salutem, vna cum vita ipsa profundant; quantum in nobis est; mandamus omnibus sine exceptione personis, nè vlla prorsus probitatis adumbrata specie, ęgrotos, aut ipsi vllo modo impediant, aut ab alijs eosdem impediendos curent, quominus à religiosis, cæterisque præditis pietate viris inuisantur: ne ve faciant, vt aut sacrosancta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremę vnctionis sacramenta, minime percipiant, aut, si in pietatis studia, officiaque præstanda seu (siquis id malit) ad pias caussas hæredem relinquere velint, minimè testamentum conscribant, aut con-

conscriptum, aliqua ex parte mutent, vel totum inducant, irritumuè faciant, vel codicillos non adscribant, aut legata, quibus, & in quos vsus velint, non scribant. Nihil enim tam iniquum, nihil tam inhumanum, nihil denique tam Christianæ pietati, ac caritati contrarium, quàm, qui habent testamenti factionem, eos è vita prope iam discessuros à supremæ voluntatis suæ iusta sententia de eo, quod post mortem fieri volunt, mouere, atque deducere, & sacramenta à Iesu Christo instituta percepturos quoquomodo impedire. Quoniam autem penę metus, quemadmodum ad ea, quæ iubentur, homines vehementer incitat, sic ab ijs, quæ vetantur, magnoperè deterrere consueuit; eam ob rem ijs, qui contra, atque hac constitutione cauetur fecerint, suboptexcommunicationis modo latæ sententiæ, seu Canonis pœnam proponimus, vbi scilicet ex sacris constitutionibus fuerint ea de re præmoniti, sed aliæ etiam, quæ in eiusmodi homines iure definitæ sunt, ac constitutæ.

Vt Notarij Episcopum de pijs legatis doceant, eique ad quos ipsa spectant, indicium faciant, & de eorum executoribus.

CONSTITVTIO CI.

Omnibus præterea tabellionibus, cæterisque, qui testamentorum tabulas conficiunt, vel codicillos adscribunt, præcipimus, vt nobis omnino, & illius Ecclesiæ, religiosiuè loci, præfecto, eique, cui vel legatum conscriptum, vel patrimonium spe bene tradendi, quod fideicommissum iureconsulti vocauere, in pios vsus fuerit relictum, nec non miserabilium personarum institutiones, liberorum religiosorum ipsi nobis denuncient: hæredum verò ipsorum nomina, nec non eorum ad quos spectet, mortui testamentum tueri, ac voluntatem defendere sex si extra Diœcesim fuerint, si verò in Diœcesi, duobus mensibus, quibus testator diem obierit suum, bona fide ad nos deferant, vt in volumen, quod eiusmodi sit vsui, in nostra curia referantur. Secus qui faxint, eos nos à fidelium communione seiungimus, neque in eam per alium, quàm per nosipsos recipi posse declaramus: aliisque præterea, quæ arbitrij

nostri

nostri fuerint pęnis, in eos animaduerti volumus.

Tabellionibus porrò authores sumus, vt tabulis, in quas protocola referunt, diligenter inspectis, videant, núm quæ superioribus temporibus cuipiam fuerit testamento, legatoue, fideicommissoue, quod ignoretur, relictum: & si tale contigisse reppererint, eum ad quem res redire debet, moneant, & nos simul de eo bona fide doceant, atque erudiant.

Omnibus pręterea bonorum hæredibus, omnibusque, qui ad mortuorum testamenta tuenda, & eorundem voluntatem exhauriendam, vel vsque adhuc, sunt lecti, vel in posterum lecti erunt, sanctæ obedientiæ vi, ac virtute mandamus, vt pia legata intra annum à testatoris morte bona fide præstent, restituant, ac tradant. Proponimusque ijs, qui secus faxint, non modò excommunicationis, sed alias etiam, quæ iure Pontificio in eius generis homines sunt constitutæ, penas.

Hanc ipsam ad extremum constitutionem à Parochis populo bis in anno promulgandam mandamus.

Vt clerici beneficij, compotes seminario Lucensi aliquid testamento legent.

CONSTITVTIO CII.

SAncimus, vt in posterum omnes Ciuitatis ęquè, ac Diœcesis clerici, qui sacerdotij, hoc est beneficij Ecclesiastici participes sunt, cum testamentum faciunt, adolescentulorum collegio, quod seminarium iam recepto nomine appellatur, aliquid legent, ac relinquant, idque tanti, quanti sibi placuerit. Quod si quis forte nihil leget, pro legatis tamen volumus haberi, atque intelligi sestertios nummos vnum & viginti, hoc est, vt ad nostræ monetæ ęstimationem redigantur, Bolognini sex & triginta. Atque eos quidem statim, ac testator è vita migrauerit, seminarij quæstori ab hærede persoluendos decernimus, atque mandamus.

Quid

Quid Parochi præstare debeant in scribendis supremis è vita discedentium voluntatibus.

CONSTITVTIO CIII.

QVoniam verò contingit interdum, vt in nonnullis nostræ Diœcesis locis, vbi publici desiderātur scribæ, nonnulli intestati moriantur, ex quo sequitur, vt eorum voluntas, ac consilium minimè expleatur, & quamuis iuxta sacras sanctiones Parochi possint, si id tale contingat, eas suscipere partes, quæ alienæ sunt, hoc est vicarij Scribarum muneri succedere, illud tamen sæpius defugiunt ob formulæ, vt vero dissimile non est, ignorationem; eam ob rem operæ pretium esse duximus, eam illis præscribere, ac constituere, vt etiam apud prophanum iudicem, is, cuius interſit, eādem sine controuersia vti possit. Proprius, igitur, Parochus, vel certè is, qui illius vicem supplet, (cæteri enim omnes huiusmodi muneri prohibentur succedere) rogatus ab eo, qui testamentum facere velit, curabit in primis, vt tres, vel plures, aut pauciores pro municipalibus loci iuribus testes adsint, qui mares sint, & puberes, hoc est, qui quartumdecimum ætatis annum sint egressi: non autem hæredis, aut eorum, quibus legata erunt relinquenda, domestici, aut familiares, vel quod sanguine proximi, veluti pater, filius, frater, auus, nepos, aut qui in testatoris, vel hæredis potestate sit, hi enim omnes ad eam rem testes esse prohibentur, quemadmodum infames, & excommunicati. His porrò testibus præsentibus Parochus bona fide singula in primis legata conscribet quæ, qui sua de re testatur, suo ipsius ore protulerit; deinde verò hæredis nomen adscribet. Id autem caueat Parochus, ne ad testatoris nutum faciat, sed curet, vt ipse tam clara voce hæredem nuncupet, ut à testibus exaudiri facilè possit. Caueat præterea ne quod pertinet uel ad hæredem instituendum, uel ad eos, quibus legata relinquit, eundem instituat, uel subornet. Ad hæc ne ei sit autor, ut uel sibi, uel Ecclesiæ suæ plus, minusuè legat. Sed id tantum adnotabit, quod ab illo fuerit adnotare iussus: & deniq; caueat, ne seorsum testamentum scribat, sed id in conspectu testatoris, ac testium bona fide faciat. Quo quidem testamento ita con-

fecto,

fecto, eius rei fidem suo ipsius chirographo faciet, in hanc sententiam, atque his, quæ sequuntur, ita conceptis verbis.

Testamenti conscribendi formula Parochis vtenda.

EGO N. Rector Ecclesiæ S. N. bona fide attestor, me à N. qui ex mea est, Parœcia, cum grauiter corpore ægrotaret, animo verò, ac mente valeret, vehementer rogatum, vt, cum Notarius deesset, ego in hac schida supremam ipsius voluntatem describerem. Qua quidẽ in re cum primũ omniũ animã omnipotenti Deo, eiusque sanctissimæ parenti, vniuersoquè cœlesti cœtui piè, religiosèque commendasset, in [illegible] N. sibi sepulturæ locum legit, cum eo funeris sumptu, qui [illegible] infra describentur, hæredibus videretur.

Ad animam autem suffragio iuuandam testamento reliquit Ecclesiæ S. N.

Item legauit (siquid tamen priuatis hominibus legare voluerit) N. . . .

Item vsumfructum omnium bonorum suorum N. legauit in omne ipsius vitæ curriculum.

Si autem vsufructus vxori fuerit legatus, sic verba à Parocho concipiantur. Quousq; illa in luctu fuerit, atque in viduitate permanens honestam vitam vixerit.

Ad extremum ex asse hæredem fecit, ac suo ipsius ore instituens nominauit N. hoc est omnium bonorum suorum tàm eorum, quæ manu traduntur, quàm eorum, quæ solo adhærent. Atque hanc suæ supremæ voluntatis iustam sententiam valere voluit, si non iure testamenti, saltem iure codicillorum omni meliori modo. Scriptum . . . . . accitis, adhibitis, ac rogatis testibus præsentibus N. N. N. Die . . . . Mensis . . . . . . Anno.

Ne verò temporis iniuria hominum voluntates vlla vnquam extinguat, aut obscuret obliuio, volumus, vt Parochus libellum conficiat, in quem singula subinde testamenta referat: cumquè quot annis ad nos ipsi afferendum mandamus, vt in Episcopali tabulario asseruetur.

Ad hæc eidem mandamus, vt, si vel ab eo, qui de re sua testatus est, vel ab vno aliquo ex ijs, quibus ille quid testamento reliquerit, fuerit rogatus, profano iudici se sistat, eorum omnium fidem facturus, quæ eo ipso testamento cauentur ad rei memoriam sempiternam.

DE SEPVLCHRIS, ET FVNERARIIS.

TITVLVS NONVS.

Quo ordine in pompa funeris Parochis sit procedendum, ac funeraria ad proprium mortui Parochum redire debere, cum ille extra Parœciam sibi legerit sepulturæ locum.

CONSTITVTIO CIIII.

CVM litibus, controuersiis, ac iurgijs, quæ ex funere è propria Paræcia in alienam efferendis, funerarijs soluendis, ac distribuendis non sine multorum offensione sępius oriri, atque existere consueuerunt, obuiam ire cupiamus; idcirco cum funus ex propria Ecclesia in alienam fuerit efferendum, cui sacerdos ex eorum genere præsit, qui seculares appellantur, aut contra; vterque Parochus albatus, ac stola amictus funus ipsum pari gradu prosequuntor, at Secularis Regulari loco præcedito.

Cum quatuor, sexuè, vel octo tantum ex nostra Cathedraria, vel quauis alia, quæ collegium habeat, Ecclesia, aut Cœnobij alicuius sodalitio vocantur ad funus, non etiam vniuersum collegium, vel sodalitium, Paræcia, in qua mortuus morabatur, crucem præferentem vocati sequuntor.

Si in aliena Paræcia erit mortuus condendus, illius crucem deferri fas esto, at pęferri mortui Paræcię duntaxat ius esto.

Funeraria autem, quartam videlicet Canonicam portionem, quæ Ecclesiæ ex sacrarum sanctionum decretis, & ex laudabili no-

Stra Diœcesis consuetudine debetur, proprio Parocho ad nummum persoluenda mandamus, etiamsi mortuus in aliena Parœcia sibi legerit sepulturæ locum.

Si quis verò, ad quem non pertineat, hæc acceperit, exegerituè, ea lege uolumus teneri, vt Parocho (modo ipse velit) ad quem ea redire debent, omnia cum cadauere ipso restituat, ac reddat.

Prohibemus tamen omnibus societatibus, quas confraternitates vocant, ne in suis sacellis sine nostro, aut certè Parochi permissu dent cuiquam, qui ex suo non fuerit grege, sepulturæ locum: proponimusquè, si contra faxint, eandem, quæ paullò ante proposita est, pœnam.

Ante solis ortum, aut post eius occasum funus ne efferto, neuè ducito.

Cauemus præterea, ne Parochus, aliusuè sacerdos demortui hominis corpus humo tegat, nequè tegi patiatur ante duodecim, minimum, horas, posteaquam ille è vita decesserit: proponimusque ei, qui secus faxit, arbitrij nostri pœnam: quæ si fuerit pecuniaria, eam, cui magis uisum fuerit, addicemus.

Funeraria porrò ex locorum consuetudine, proquè hominis generis, atquè ætatis ratione Parochis persoluenda esse sancimus. At verò cauemus, ne vel ea pacisci, vel ante funus petere fas sit.

Ne verò Parochi immodica, iniustauè funeraria petant, exigantuè, aut cadauera humi mandare procrastinentur, quamuis etiam funeraria ipsa eis denegentur, cauemus: pro quibus tamen exigendis, ac repetendis ius de æquo loco, ac sine iudiciario processu & cognitione, & vt dicunt sine strepitu, & figura iudicij eis dicundum mandamus.

Pauperum autem, inopumue demortuorum corpora gratis omnino sepultura Parochi vt afficiant, nequè pro ea, terrauè, locouè, quo humanda sunt, si sacrarum constitutionum propositas animaduersiones vitare cupiunt, paciscantur, exigantuè, accipiantuè, iubemus.

Cauemus insuper ne in alienum sepulchrum sine nostro, vel sepulchri Domini permissu, ac concessu, demortuorum corpora inferri patiantur: Proponimusq; non omnibus solum sine exceptione Parochis id tale permittentibus, sed id ipsum etiam mandatibus

decem

decem aureorum nummûm multam, religiosis locis addicendam, præcipimusque cadauera ipsa, si ita factum fuerit, eruenda.

Cauemus denique, ne funeris curatores cum eis demortui hæredes curationis ipsius mercedem persoluant, cereorum, candelarumuè etiam accensarum, quæ Ecclesiæ offerri solent, quicquam petant, exigantuè, accipiantuè. Si verò contra faxint, eos trium aureorum nummûm multa Ecclesiæ illi, cui damnum dederint, addicenda mandamus.

Vt mortui in cæmeteriis sepeliantur, neque sepulchra, seu tumuli in Ecclesiis excitentur.

CONSTITVTIO. CV.

QVoniam sepulchreta, cæmeteriauè fidelium sepulturæ sunt destinata, neque primis Ecclesiæ temporibus in sacris ædibus sacerdotes tantum sepeliebantur, præterea nemo; sancimus vt demortuorum corpora in ipsis sepulchretis condantur: in Ecclesiis autem ne earum pauimenta, vt multis in locis contigisse videmus, deformentur, id fieri omninò vetamus: una tantum, quæ iam extructa sunt, monumenta excipimus: in quæ, quominus cadauera inferantur, minimè prohibemus. Ne tamen sine nostro permissu noua extruantur, cauemus; qui verò aut contra faxint, aut contra à quoquam fieri permiserint; duobus eos mensibus Ecclesiæ aditu arcendos, cadauera verò ipsa obruta eruenda mandamus.

Omnibus prętereà Ecclesiarum pręfectis præcipimus, vt tumulos omnes, sepulchrauè tàm è marmore, quàm ex lapide, aut ligno altius humo iam excitata, extructauè demolienda curent, in posterum verò excitari, extruiuè ne patiantur. Qui si contra faxint à nobis pro arbitrio punientur.

Idem etiam sancimus de insignibus, armis, vexillis, inscriptionibus, elogiis, imaginibus, statuisque demortuorum: idem etiam de vestibus eorum, qui in singulare certamen descenderunt, idem de simulacris armatis, quæ hominis speciem pręferunt: idem de capsis pensilibus, & id genus aliis.

Quoniam verò non pauci sunt, qui Christianæ sepulturę honore pri-

priuantur; non alienum esse ducimus, ad nonnullorum sacerdotum rudiorum captum hic subijcere, qui nam illi sint, quorum caussa id sæpius contingit; Hi, igitur, sunt.

Qui Pœnitentiæ vsu caret, seu impenitens.

Excommunicatus.

Nominatim interdictus, vel Ecclesiæ aditu prohibitus.

Qui eo anno peccata proprio sacerdoti vel alieno bona cum illius venia confessus non fuerit, neque Eucharistiam perceperit, eaque de caussa publicè fuerit promulgatus.

Qui in pugnæ simulachro, muniereuè gladiatorio conciderit.

Publicus blasphemus.

Hæreticus.

Raptor.

Publicus fœnerator.

Qui vitam sibi ex desperatione, irauè manu exhauserit.

Is, quem liquidò constet in læthali animæ veterno, vt in contubinatu esse mortuum.

Is, cuius ad supplicium rapti corpus fuerit dissectũ, ac diuisum.

Laicus, qui decumas retineat.

Monachus, quem aduersus paupertatis votum, ac professionem in vitæ discrimine bona occultè habuisse manifestò apparuerit.

Iudæus.

Ethnicus.

Ante Baptismi susceptionem mortuus.

Interfectus, qui cum interfectore pacem facere noluerit.

Hi, igitur, & id genus alij qui Christianæ sepulturæ honore meritò carere debent, tàm longe ab Ecclesia, ac cæmeterio humari, seu ita procul proiici, atque amandari iubemus, vt clericorum psallentium voces indè nequeant exaudiri.

De Peregrinorum Sepulturis.

CONSTITVTIO CVI.

SI contigerit, vt peregrinus, aduenauè aliquis in Ciuitate, aliuiuè nostræ Diœcesis moriatur, neque ante mortem sepultura

tura locum legerit; cauemus, ne sine nostro vel Parochi permissu alibi, quàm vel in Paracia, vel in nostra Cathedraria Ecclesia sepeliatur qui verò secùs faxit, hunc ea lege teneri volumus, vt terra obrutum cadauer eruat, illudque vnà cum funerarijs restituat.

Peregrinum autem, aduenamuè in eo genere eum intelligendum esse declaramus, qui antè obitum nullibi domicilium, sedemque larium collocauerit.

Vniuersis porrò, qui peregrinos hospitio acceperint, nec non omnes, apud quos contigerit, vt ij in morbum inciderint, monemus, atque hortamur, vt ijsdem ęgrotis liberalitèr, misericorditer, ac studiosè adsint: libereque eis permittimus, vt bona, si qua habeant, cui velint testamento relinquant. Si autem è vita testamento haud facto decesserint; mandamus, ne quid hospites de eorum bonis auertant: sed sumptibus funeris factis reliquum, quod fuerit, de eo nos doceant, idque bona fide hæredi tueantur, ac seruent. Quod si nemo hæres extet; sancimus, vt omnia nobis in pios vsus eroganda assignentur: & si secùs illi faxint, anathematis pœnam proponimus.

DE SACRIS VIRGINIBVS, SEV MONIALIBVS.

TITVLVS DECIMVS.

Quā ætate puellæ ad habitum, quod monachorum est, sint admittendæ, & quā profiteri debeant non sine Episcopi concessu:

CONSTITVTIO C VII.

QVE nobis tributa est, Apostolica sedis authoritate, ea nos omnibus sine exceptione, quæ in nostra Diœcesi monachijs præsunt, sacris virginibus seu sororibus præcipimus, ne quam puellam, ante quàm duodecim annos perfectos, integrosq; habeat, ad habitum, qui ipsarum est admittant, neque eas prius profiteri, præseque ferre eius vitæ institutum ante patiantur, quàm sextum decimum annum absoluerint, & annum tyrocinio fuerint, omnibusque se, & constantiam suscepti instituti probauerint, fuerintque interrogatæ, seu examinatæ. Proponimus autem monachiorum præfectis, seu Abbatissis, si contra faxint, fieriuè permittant arbitrij nostri pœnam. Vt autem nos ad eas interrogandas, examinandasuè possimus accedere, mandamus præfectæ, det operam, vt mensem ante professionem ea de re nos doceat: prædicimusq; professionem omnem irritam, nullamque futuram, quæ aliorsum ac statuimus, modo, rationeuè fuerit facta.

Pra-

Prædicimus porro earum puellarum parentibus, cęterisque omnibus, qui puellis ipsis instituentibus eius vitæ genus sunt præpositi, illisque adesse solent, ne eas interrogandas, seu examinandas nobis sistant, nisi illarum ætatis testimonium prius exhibuerint, atque ex Præfectæ chirographo probauerint, eas à virginibus ipsis sacris in suum gregem fuisse receptas, docuerintque summa christianæ doctrinæ capita optime callere. Eosdem præterea hortamur, ne illas in pompa, auro, ac gemmis, quæ communis hostis sunt laquei, deducant, ac comitentur.

Ne puellarum Tyrocinij tempore monachio quicquam, pręter victum, ac cultum detur, neque quicquam ab eo accipiatur: & de abdicationibus, ac donationibus, quæ ante professionem factæ fuerint, irritis habendis.

CONSTITVTIO CVIII.

Cauemus prætereà, ne qua specie simulata, adumbratauè à nouitiarum puellarum parentibus, propinquisuè, curatoribusuè Tyrocinij tempore quicquam (vno victu excepto, atque cultu) monachio detur, aut ab eo accipiatur. Proponimusque tam ijs, qui dederint, quàm qui acceperint, si contra faxint, excommunicationis pœnam.

Bonorum abdicationes, donationesuè, quæ ab ipsis nouitijs puellis faciendæ erunt, mandamus, vt duos ante, quàm profiteantur, menses fiant: idque non sine vel nostro, vel nostri vicarij permissu. Si verò secus fiat, etiam si pios spectent vsus, vel ad loca religiosa sint reditura, etiam iureiurando addito, infirmas tamen, irritas, nullasque prorsus esse declaramus.

Cum autem sacrarum virginum numerus sic augeri videatur, vt in plerisque monachijs sustentari vix queant; cauemus, ne absque nostra in primis venia plures in gregem puellæ recipiantur, quàm, & numerus à nobis Pij Quinti Pontificis Max. iussu in

monachiorum legibus est definitus, & vires monachiorum, facultatesque ferant.

Ne puellæ, mulieresuè religionem suscipere cogantur, nec contra, quominus suscipiant, impediantur, deq; monachiorum præfectis legendis, iisdemque confirmandis.

CONSTITVTIO CIX.

OMnibus ad hæc sine vllo prorsus discrimine, delectuuè præcipimus, ne quam puellam, mulieremuè, neque in monachiũ, cœnobiumuè contrudere, neque religionis habitum assumere, profiteriuè cogere, aut compellere audeant inuitam; nisi si vna earum aliqua caussa subsit, quæ iurè minime prohibentur. Proponimusque ijs, qui contrafaxint, anathematis pœnam: quemadmodum ijs etiam, quos consilij duces, illæ fuerint secutæ, nec non ijs, qui eisdem suffragium, suppetiasuè tulerint, gratiam quæsierint, rem suo assensu comprobarint, in eamque authoritatem interposuerint, aut cogendo, compellendouè affuerint. Eademmet pœna eos etiam teneri volumus, qui easdem à sacri veli assumendi, vel voti solemnis nuncupandi, profitendiuè mente quoquo modo (ni iusta caussa subsit) auocarint.

Cauemus insuper, ne monachij præfecta legatur quadraginta annis minor, nec quæ octo post professionem annos rectam, approbatam, atque laudabilem non vixerit vitam. Monachij autem præfectum monemus, ne cùm legenda erit, illius septa ingrediatur: sed singularum suffragia vel pro cancellis audiat, si voce incantur, vel per fenestellam colligat, si tabella, aut faba ferantur.

Quæ autem præfecturam inierit, ei non est ignorandum eiusmodi prouinciam ex Gregorij tertijdecimi Pontificis max. constitutione, quæ calendis Ianuarij 1580. promulgata est, triennium duntaxat obtinere fas esse, neque vllo modo prorogari posse: neq; etiam idem muneris ibi iterum deferri, nisi ab eo, quo prouincia abierit die, tres item anni interfuerint; idque esse cautum ea proposita pœna, vt non modo quæ talem legerint, sed etiam quæ lecta

fuerint (si prouinciam acceperint) suffragij ferendi, ius ei adimatur, neque contra ab alijs eo ipso suffragio iuuari possit, seu (si quis id malit) priuari voce actiuè, & passiuè, atque vt in posterum ad eius generis prouinciam perpetuò sint inhabiles, atque ineptæ, & demum vt lectio eiusmodi infirma, irritaque sit, ac prorsus nulla.

Vt nemo monachiorum septa ingrediatur; neque ea sacræ Virgines egrediantur; deque iter indicis ab ipsis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis; eademq; Eucharistia in exteriori, earum Ecclesia asseruanda.

CONSTITVTIO CX.

Vt sacrarum Virginum, seu sororum honori, atque honestati salutaritèr prospiciatur; nos sacrosanctæ Tridentinæ Synodi vestigia persequentes prohibemus omnibus sine vllo discrimine, delectuuè, ne quis absque nostro, vel monachij præfecti permissu in monachiorum septa irruat, ingrediaturuè, etiamsi ex eorum sint numero, quæ exempta appellantur. Eos tamen excipimus, quibus monachio ipsi maximè est opus: quibus quidem, si necessitas cogat, illuc adeundi scripto licentiam gratis permittemus. Proponimus autem, ne quis contra faxit, anathematis pœnam: cuius in laqueos simul, ac deliquerit, eum se se inducere declaramus: mandamusque ijs, qui illis præsunt, vt licentiam iuxta eiusdem synodi decretum eiusmodi duntaxat hominibus necessitate cogente, concedant, præterea nemini. Virginum porrò ipsarum præfectis eadem proposita pœna vetamus, ac prohibemus, ne cuiquam, pratèr eos, quos proximè commemorauimus, neque vllo alio tempore, ne pueris quidem ipsis, puellisuè, qua illæcunque sint ætate, aditum in septa patefaciant, eosque in illa introducant.

Cauemus prætereà, ne cuiquam ex virginibus, neque ad longum, neque ad breue tempus septa egredi fas sit, nisi egrediendi à Sancta sede Apostolica licentiam, quæ scripto appareat, obtinuerit. Proponimus autem ne quis contra faxit, excommunicationis, quæ latæ sententiæ dicitur, pœnam: cuius vinculis statim, atque

V 2 deli-

deliquerint, non eas modo deuinciri volumus, sed quæ etiam illis se se comites adiunxerint, nec non qui easdem receperint, siue illi clerici fuerint, siuè laici. Quæ quidem excommunicationis vincula, sancimus, vt eis à summo tantum Pontifice (nisi forte in vita discrimine versentur) euelli possint, prætereà nemine.

Mandamus ad hæc, quemadmodum eadem et synodus mandat, vt sacræ virgines singulis saltem mensibus peccata sacerdoti confiteantur, & ad sacrosanctam Eucharistiam sumendam, piè, religiosèque accedant.

Cauemus denique, quemadmodum synodus ipsa cauet, ne Eucharistia in septis, sed in exteriori ipsarum Ecclesia asseruetur.

DE CONSTITVTIONIBVS.

TITVLVS VNDECIMVS.

Ne de statu Ecclesiarum, neque vniuersè, neque præcipuè quicquam statuatur, inconsulto Episcopo, neque sine eius permissu clerus conuocetur, & de clericis legendis in singulis classium præfecturis.

CONSTITVTIO CXI.

QVONIAM lege cautum est, ne aut Cathedrariæ Ecclesiæ, aut eiusmodi aliud collegium, seù Capitulum neq; eorum præpositi decretum de statu Ecclesiarum, vel cleri faciant, neque ad aliquam præcipuam, etiam si propria eorum sit, regendam quicquam statuant inconsulto Episcopo, quod ad ipsius iurisdictionem, authoritatemq; referatur: neq; quicquam in morem, consuetudinemque inducere possint; eam ob rem omnibus sine vlla exceptione collegijs, seù Capitulis, omnibusque Ecclesiarum præfectis, seù præpositis, cæterisque nostræ Diœcesis clericis probibemus, ne quod ad Ecclesiarum, & cleri statum attinet nostræ Diœcesis neque vniuersè, neque, quod ad aliquam præcipuam Ecclesiam, aut collegium pertinet præcipuè quicquam statuant, decernantuè, nisi ex sanctæ sedis Apostolicæ authoritate, ac concessu eis statuere, ac decernere fas, iusque sit: neque, quod ad nostram iurisdictionem sit referendum, & authoritatem spectet, quicquam conentur, aut moliantur, neque in morem, consuetudinemuè in-

ducant. Proponimus autem ijs, qui contra fecerint, excommunicationis interdicti, & arbitrij nostri pœnam, pro culpæ grauitate, ac magnitudine.

Mandamus porrò ijsdem omnibus, vt intra tres proximos ab harum constitutionum editione menses, vniuersas Ecclesiarum suarum, & collegiorum constitutiones, quæ aut à sanctâ Apostolica sede, aut à nobis, aut à superioribus Episcopis approbatæ, confirmatæque non fuerunt; nobis, vel vicario nostro exhibeant. Proponimusque omnibus easdemmet, quas proximè proposuimus, pœnas, ac censuras, quas aduersus eos qui contra fecerint, ex inde agentes, ad vsum reuocabimus. Easdem interim constitutiones, seu leges, seu decreta, quæ neque confirmata, neque nobis, vel vicario nostro, fuerint exhibita, ea omnia non infirma modo, irrita, antiquata, & abrogata, sed inducta, deleta, ac prorsus nulla declaramus, nemini que seruanda esse sancimus.

Vniuersis prætereà, ac singulis sine vllo prorsus discrimine, delectuue prohibemus, ne vllo modo neque per se, neque per alios vniuersum clericorum cœtum, sine nostro præcipuo concessu ac permissu, vt ante hac laudabiliter seruatum est, more maiorum, conuocare, cogereue audeant. Proponimus autem eis, si contra fuerint conati, easdem non modo censuras, sed ijs, qui cœtus conuocandi, cogendi ue authores fuerint, grauiores prætereà pro arbitrio nostro pœnas. Quicquid porrò in eiusmodi conuentu, ac cœtu deliberatum, statutum, decretum, definitumue fuerit, id omne infirmum, irritum, nullumque tùm esse, tùm fore declaramus.

Quoniam verò aliquando contingit, vt vrbanus clerus conuocetur, cum quo de nonnullis communicandum sit, quæ ad cæteros Diœcesis clericos spectant; eam ob rem cupientes, vt obtrectationibus, ac detrectationibus occurratur; & ita omnibus omnino satis fiat, vt maledicto, aut querelæ non sit locus; mandamus, vt ex vnaquaque classium Præfectura, seu Præpositatu duo legantur, alter ex Lucensi, ex Florentino, vel Ferrariensi agro alter; qui tres ante eiusmodi congregationem dies vocati, eò conuenire possint: in eoque officij munere permanere volumus ad proximam vsque synodum cogendam, publicumque conuentum peragendum. Si verò minimè fuerint vocati, sancimus, ac decernimus, vt, quicquid in

ea congregatione, actum, decretumque fuerit, eo externus clerus minimè teneatur, nulloque damno afficiatur, neque eius iura vlla in re imminuantur.

Vt libri, syngraphę, ac scripta, quę ad vniuersum clerum pertinent iis; qui lecti fuerint, tradantur, & vt exactę pecunię rationes reddantur.

CONSTITVTIO CXII.

QVicunque vel tabulas, codicesuè, aut syngraphas, scriptauè, quæ ad omnem quoquomodo pertineat clerum, vt sunt Decumarum libri, litterę negotiales, & id genus alia monumenta, apud se habet; pręcipimus, illa omnia duos intra menses proximè insecuturos nobis, vel ijs, qui fuerint à nobis lecti, tradant, vt in Comitio Canonicorum seu (si quis id malit) in loco capitulari, Tabulario ad eam rem pręcipuè parato, reponantur. Volumusque, vt tribus diuersè fabrefactis clauibus occlusa diligenter, fideliterque asseruentur: quarum quidem clauium vna apud nos, altera vel penes Aeditimum, quem interiorem vocant, uel penes ipsius tabularij custodem, tertia penes vnum ex ijs Ecclesiarum in Ciuitate præfectis, qui Priores dicuntur, (secularibus tamen vt vocant, non regularibus) perpetuò vt sit mandamus. Si quis autem contra faxit, atque hac constitutione cauemus; hunc excommunicationis pœna, vbi ter fuerit ea de re pręmonitus, damnandum sancimus: cuius quidem excommunicationis vinculis à nobis duntaxat leuari posse volumus, pręterea nemine. Declaramus tamen omnia eius generis scripta ipsorum Canonicorum constitutionibus, seu decretis nullo modo esse subiecta; sic, vt nihil ab eis ea de re statui possit, aut decerni, sed eo loco ita asseruentur, vt in Ecclesia asseruarentur: In eodemque sancimus, vt exactionibus & id genus aliis confectis in posterum reponantur libri, aliaque scripta omnia quæcunq; ad clerum ipsum spectare videbuntur. Si quis verò posthac huic constitutioni non paruerit prater excommunicationis, qua damnabitur pœnam, arbitrario à nobis pręterea punietur.

San-

Sancimus præterea, vt duos intra menses proximè insecuturos suæ quisque administrationis siue decumarum, siue pecuniarum quouis nomine exactarum syndicis à clero lectis rationes referant, ac reddant, ac, si quid fuerit reliquum, intra duos item menses apud eum deponant, quem depositarium iureconsulti vocauerunt: quod si contra faxint, prçter quinquaginta aureorum nummûm, quibus multabuntur multam, suspensionis præterea, quam vocant à diuinis subibunt statim pœnam, qua nisi cumulatè satisfecerint, non liberabuntur.

Quid integrum de hisce constitutionibus sit Episcopo reseruatum.

CONSTITVTIO CXIII.

CVm plura sint rerum negotia, quàm vocabula, cumque non ignoremus, permulta, quæ noua sint, accidere, atque euenire quotidie posse, de quibus cum nihil hisce constitutionibus caueatur, nouum eis auxilium est quçrendum, quemadmodum nouis morbis noua remedia adhibentur, necesseque interdum esse, vt quç salutariter sint constituta, atque sancita, iustam ob caussam sint corrigenda, eam ob rem noua decreta faciendi, nouasque sanctiones, constitutionesuè sciscendi, ac condendi, hisce verò aliquid addendi, easdem obrogandi, ac corrigendi, de eis derogandi, easque etiam interpretandi, iisdemque soluendi, seù (si quis id malit) dispensandi, ordinariam, integramque nobis facultatem, authoritatem, ac potestatem reseruamus.

In quibus eandem, atq; Episcopus, summus eius Vicarius authoritatem habeat; de omnibus autem summo Pontifici, ac sanctæ Apostolicç sedi integram ab Episcopo in his constitutionibus reseruari.

CONSTITVTIO. CXIIII.

IN omnibus præterea, in quibus vel absoluendi, vel aliquid aliud agendi nobis authoritas est reseruata, in eisdem nostro etiam

etiam summo Vicario à nobis, vt concessam sic etiam reseruatam esse declaramus: ea tamen excipimus, quæ Episcopalis sunt ordinis; & simul ea in quibus absoluendi facultas, atque authoritas integra reseruata est nobis duntaxat vnis, præterea nemini. Illud tamen omnibus contestamur, ac profitemur, nos in omnibus, ac singulis summo Pontifici, sanctæque Apostolicæ sedi integram omnino authoritatem relinquere, ac reseruare, semperque reseruaturos: cui eam, quã maximè decet, reuerentiam, obsequium, obedientiam, recipimus, ac pollicemur.

Quinam hisce constitutionibus teneantur, de eisque & classium regulis seruandis.

CONSTITVTIO CXV.

Quoniam ineptum fortasse, absurdumque videri potuit, vt in singulis constitutionibus sciscendis, omnes Ecclesiasticæ personæ, siue ex genere sint eorum, qui seculares, siue eorum qui regulares appellantur, nec non eorundem ordo, gradus, dignitas, fortuna, conditio, ac ratio, eorumque nomina, qui sacerdotia, seu beneficia Ecclesiastica, ac munia obtinent, singillatim, nominatimque exprimerentur; ne, quòd ea res consulto est prætermissa, quicquam vllo vnquam, aut tempore, aut caussa in quæstionem vocari, vel in controuersiam adduci possit; eam ob rem sancimus, ac declaramus, vt omnes, ac singulę sine vlla prorsus exceptione, delectuuè, discrimineuè Ecclesiasticę personæ, cum nostræ Cathedrariæ Ecclesiæ, tum aliarum, quæ collegio sunt ornatæ, tum vero etiam earum, quarum præfecturæ, Abbatiæ, Prioratus, Decanatus, ac Præpositurae dicuntur, præterea cænobiorum, monachiorumuè tam virilium, quàm muliebrium, nec non Parœciarũ, sacrorum hospitiorum, religiosorum locorum, societatum, seu confraternitatum, & Aedilitatum, seu operarum, & his adde laicos tum mares, tum fœminas, modò aut iure, aut Tridentini Concilij decreto, aut etiam priuilegio nobis ab Apostolica sede irrogato iuris eis dicundi potestatem habeamus; sancimus, inquam, ac declaramus, vt omnes, ac singulæ singulis constitutionibus pro mo-

do & ratione æquè teneantur, & astringantur, ac si singulæ personæ, dignitates, ac munia singillatim, ac nominatim commemorata essent; idemque etiam de vicarijs munijs, deque ijs, quos cappellanos vocant, deque ijs, qui Parochorum vicem sustinent, intelligi volumus, quod de Parochis ipsis, ac curionibus, quos curatos vocant, & de Ecclesiarum præfectis, ac præpositis sancitum à nobis est, atque decretum.

Quamquam autem in singulis his sanctionibus, ac decretis pœnas pro ratione, & modo à nobis in eos sunt constitutæ, qui aut non dicto audientes fuerint, aut contra faxint; hoc tamen præterea loco omnibus, sine vlla prorsus exceptione, discrimine, ac delectu prædicimus, eiusmodi homines præter eas ipsas, quæ certæ sunt, incertis etiam à nobis coercendos fore tum pœnis, tum multis, quas eis pro arbitrio nostro infligendas, atque irrogandas ipsi nobis reseruamus, vt latius infra cauetur constitutione, De pœnarum declaratione. Omnibus, igitur, mandamus, vt eas quàm diligentissimè obseruent, quemadmodum etiã Classium regulas (sic enim sunt inscriptæ) quæ iam sunt editæ, ab omnibus, qui eis tenentur, non modo vt obseruentur mandamus, sed iubemus etiam, atque imperamus.

DE POENIS.

TITVLVS DVODECIMVS.

De modo, ac ratione agendi aduersus eos, qui deliquerint.

CONSTITVTIO CXVI.

NE scriptas dicas, libellosuè, qui vel ad in ius vocandum, vel ad monendum pertinent, passim quotidie circum ferri sit necesse; volumus, vt quotiescunque siuè ex communi iure, siuè ex hisce nostris constitutionibus certa ijs, qui deliquerint, sit irroganda pœna, aut monitio iteranda, seù interpellatio, requisitiouè, ad sententiam, quam declaratoriam appellant, sit necessaria, semel tantum, quem citare satis sit, ad eam ipsam sententiam pronunciandam, relicto ad eius, aduersus quem, vel cuius bona agitur, in quibus habitat ædes, libello, in quo sit trium dierum circumscriptus terminus. Cum autem qui deliquerint, ipso iure, vel facto ex hisce constitutionibus pœnis, vel censuris se se alligauerint, si declaratoria tunc sententia necessaria sit; volumus, vt earundem constitutionum promulgatio eandem vim, & efficientiam habeat, ac solemnis, firma, rataque sententia, quinimmò ante vertentes, ut tempus repræsentantes seù (siquis id malit) & nunc pro ut ex tunc jam eiusmodi vim habere declaramus; ita vt declaratoria in eo genere nihil omnino sit opus.

De Clericis reis citandis.

CONSTITVTIO CXVII.

QVoniam sæpiùs vsu venire compertum est, vt in caussis præsertim capitalibus Clerici rei citari non possint, sic, vt vel scelera impunita, inultaque dimittantur, vel saltem iudicia extrahantur; eam ob rem sancimus, vt, si, qui sunt citandi, ipsi coràm citari nequeant, quod vel nusquam appareant, vel ad eorum ædes, Ecclesiasuè, vbi commorantur, tutò adire non liceat (de quo tamen iudicis declarationi standum esse mandamus) tum dica, libellouè ad vnius ex viciniòribus, quam iudex maluerit, Ecclesiis, vbi omnia periculo vacent, & simul ad nostræ Cathedrariæ valuas propositò in ius vocentur. Quos quidem libellos eandem omnino vim habere volumus, ac, vel ipsorum domi redditi, vel ad Ecclesiarum, vbi ipsi habitant, fores propositi essent: cauemusque, ne quamlibet ob caussam eis tanquam infirmis, irritisuè quicquam obiici possit. Atque his in illis vel reddendis, vel proponendis ordo vt perpetuò in posterum seruetur, mandamus, ne quis vllo vnquam tempore, qua se tueatur, ignorationem caussari possit.

De pœnarum declaratione.

CONSTITVTIO CXVIII.

CVm vsu manifestò sit compertum, his miseris, perditisq; temporibus nonnullos esse, qui pœnæ potius formidine, quàm Dei amore à scelere deterreantur, eam ob rem non abs rè fore duximus, si præter eas, quæ veteribus sunt in eiusmodi homines constitutæ, pœnas, nonnullas etiam hisce nouis constitutionibus, eisdem proponeremus ad terrorem. At, quia multæ sunt ex illis constitutiones, in quibus pœna inserta non sunt expressa verbis; sancimus, vt in singulis earum, quæ certam constituunt pœnam, de ijs tantummodo intelligatur delictis, quæ ibidem commemorantur, vbi verò pœna expressa non est, sed ad ea, quæ communi iure cauen-

tur, reiicitur; volumus, vt ad illam, quam ius ipsum irrogat, nostra etiam accedat arbitraria, pro persona videlicet, temporis, loci, offensionis, & reliquorum, quæ peccatum circumstant, ratione.

De pœnis pecuniariis addicendis.

CONSTITVTIO CXIX.

QVoniam verò hisce constitutionibus nonnullæ sunt pecuniariæ propositæ pœnæ, quæ cui nam sint addicendæ minimè est expressum; declaramus, eas ita addictas esse vt in pios, ac religiosos vsus, sint à nobis pro arbitrio etiam distribuendæ. Tertiam tamen earum partem viatoribus, seù executoribus vbi, quæ ad exequendum pertinent, perfecerint, alteram verò delatori (cuius nomen numquam prodetur, sed perpetuò reticebitur) reseruamus, atque addicimus.

Quæ de pœnis Episcopo sit authoritas reseruata.

CONSTITVTIO CXX.

QVoniam verò persæpè fieri videmus, vt boni etiam quandoque, licet præter culpam, in legem committant; idcirco nè, quæ aduersus peruicaces, eosque, qui consulto, ac dolo malo noxam nocent, constitutæ sunt, ab illis, qui imprudentes, ac fortuitò, humanaque imbecillitate lapsi fuerint, seueriùs pœnæ repetantur; nos liberam, integramque eas ipsas pœnas minuendi, temperandi, permutandi, atque adeò remittendi, noxæque omnino eximendi, & simul anathematis, vbi in hisce constitutionibus fuerit sancitum, vinculis ex æquo, & bono leuandi, & absoluendi, contra verò in facinorosos pro facinoris, ac noxæ ratione seueriùs agendi, atque animaduertendi, facultatem, authoritatem, potestatemque nobis relinquimus, ac reseruamus.

Hæ sunt leges, & constitutiones, ex quibus omnem nobis commissum populum, viuere maximè optamus: quas pluribus frequentibus nostræ Diœcesis synodis, nominatim verò proximo, qui æstate superiori est coactus, latas, ac promulgatas ad compendium referendas mandauimus. Eas autem omnes S. R. E. & D. N. Pontificis maximi authoritati, ac censorio iudicio corrigendas, atque emendandas subijcimus. A cuius decretis, sanctionibus, traditionibus, & sententijs ne latum quidem, vt aiunt, vnguem discedere, aut deflectere nobis est propositum: Idque ea, qua maximè decet, reuerentia, & obedientia, fatemur, profitemur, ac præ nobis ferimus.

Philippus Albertinius Piscienſis Iuriſconſultus pro Reuerendiß. Epiſcopo.

INDEX RERVM IN CONSTITVTIONES SYNODICAS.

A

Aegro-

libros,

C

Cura-

F

Fune-

Ma-

M

Ordi-

Qua-

Q

R

S

Sacer-

T

V

ERRATA.

Pag.	versi.		
1.	18.	*voleant.*	*valeant.*
7.	27.	*vmere.*	*sumere.*
10.	18	*contiaentur.*	*continenter.*
11.	24.	*quauis.*	*quouis.*
12.	26.	*videant.*	*videant.*
15.	16.	*tessereris*	*tesseris.*
16.	1.	*gladiatorisuè.*	*gladiatoriisuè.*
ibid.	3.	*plaudentouè.*	*plauduntouè.*
ibid.	24	*necessitus.*	*necessitas.*
17.	7.	*genui.*	*genu.*
ibid.	11.	*spectabant.*	*spectabunt.*
18.	1.	*res.*	*vel.*
ibid.	5.	*extrasecus.*	*extrinsecus.*
ibid.	32.	*ac.*	*at.*
20.	8.	*permissu.*	*permissa.*
21.	33.	*fieri.*	*faciendum.*
22.	15.	*interdicitur.*	*non interdicitur.*
ibid.	24.	*subsitc aussa*	*subsit caussa.*
~~28.~~	~~15.~~	~~*ornotor.*~~	~~*ornator*~~
ibid.	18.	*soceis*	*soccis.*
29.	4.	*om*	*omnia.*
ibid.	33.	*parti cibus.*	*porticibus.*
30.	27.	*incepit.*	*incipit.*
31.	11.	*rem simoniacā.*	*res simoniaca.*
32.	8.	*Tripudia, fidem, citharарum.*	*Tripudia, saltationesue, cantus fidium, citararumue.*
ibid.	10.	*cetorosque*	*cęterosque.*
ibid.		*abusos.*	*abusus.*
ibid.	31.	*ablutonis*	*ablutionis.*
39.	16.	*orationem.*	*seu orationem.*
ibid.	25.	*vberrimos, eosdemque praestantissimos.*	*vberrimi, iidemque praestantissimi.*

41.	4.	*aut perpetuisq;*	*perpetuisque.*
ibid.	8.	*probibeto*	*probibento.*
45	2.	*superstitionem.*	*superstitione.*
ibid.	19.	*nocturnæ vigiliæ in Ecclesiis, vel sepulchretis ne agātur.*	*nocturnæ in tēplis, vel sepulchretis vigiliæ ne habeantur.*
ibid.	21.	*crntra.*	*contra.*
ibib.	33.	*nec.*	*ne.*
47.	32.	*qui paulo post perscribentur.*	*qui classium regulis sunt perscripti.*
49.	7.	*celebrantis.*	*celebrantur.*
ibid.	10.	*obnapto.*	*obnupto.*
50.	1.	*inhonestiq;*	*inhonestisque.*
ibid.	4.	*docet.*	*decet.*
51.	15.	*amandos.*	*amandandos.*
ibid.	28.	*sacrosanctam Dei nomine.*	*sacrosanctum Dei nomen.*
52.	19.	*Eos.*	*Eum.*
ibid.	21.	*is intra*	*intra.*
ibid.	30.	*ex cautaturus.*	*excantaturus.*
54.	13.	*ro ma ere.*	*remanere.*
ibid.	14.	*pœna.*	*pœnam.*
ibid.	29.	*concionaturibus.*	*concionatoribus.*
ibid.	32.	*temeraritatem.*	*temeritatem.*
56.	21.	*absoluetur.*	*absoluentur.*
64.	2.	*initiatorum nomina.*	*initiatorum, parentum, ac susceptorum nomina.*
i bid.	29.	*ec.*	*eo.*
66.	5.	*eò.*	*eòque.*
i bid.	29.	*ac tersaque.*	*ac tersa.*
67.	10.	54.	57.
68.	11.	*aeris.*	*àeris.*
69.	11.	*nec non eorum.*	*ipsorumq; parentur, nec non eorum.*
ibid.	18.	*bororum.*	*borarum.*
70.	3.	*renouentur.*	*renouetur.*
71.	3.	*sed etiam etiā.*	*sed etiam.*
72.	6.	*exbitum.*	*exhibitum.*
72.	30.	*sed.*	*sed.*

74.	9	*existimari.*	*existimare.*
79	6.	*cius.*	*eius.*
ibid.	7.	*perscripto.*	*præscripto.*
80.	5.	*præcepto noluerint.*	*præcepto obedire noluerint.*
ibid.	30.	*hunc.*	*huic.*
ibid.	31.	*sui.*	*qui.*
ibid.	32.	*alutari.*	*salutari.*
82.	5.	*paruerit.*	*paruerint.*
83.	19.	*porungantur.*	*perungantur.*
85.	22.	*adfuerint.*	*sine parocho adfuerint.*
86.	19.	*suceperint.*	*susceperint.*
ibid.	22.	*accesserint.*	*accesserit.*
87.	4	*adultero.*	*adulterio.*
88.	6.	*vterq; adulterio admisso.*	*vterq; adulterio itē admisso.*
89	11.	*conhat.*	*contrahat.*
ibid.	17.	*temeraritatis.*	*temeritatis.*
91.	13.	*huits.*	*huius.*
92.	12.	*mittantur.*	*mittuntur.*
ibid.	17.	*illorum.*	*illius.*
ibid.	20.	*graaiter.*	*grauiter.*
93.	17.	*ect.*	*est.*
ibid.	18.	*Parochis.*	*Parochos.*
ibid.	19	*cæteris sacerdotibus.*	*cęteros sacerdotes.*
ibid.	30.	*munus.*	*munus.*
95.	18.	*loquantor.*	*loquuntor.*
ibid.	23.	*laicoram.*	*laicorum.*
ibid.	30.	*refereauimus.*	*reseruauimus.*
97.	3.	*anno* 1589.	*quæ coacta est anno* 1590.
ibid.	4.	*solutis.*	*salutis.*
98	25	*destrant.*	*destruant.*
99.	15.	*recita.*	*recitata.*
100.	6.	*quiidem.*	*quidem.*
102.	8.	*cuipiam in Emphiteosin.*	*cuipiam locent, vel in emphitheosin.*
ibid.	23.	*possiderunt.*	*possederunt.*
ibid.	30.	*eius.*	*Eius.*

103.	5.	*vendicationis.*	*venditionis.*
105.	1.	*quodquè.*	*quòd quæ.*
106.	12.	*Cum in nostra.*	*Cum nonnulli in nostra.*
ibid.	33.	*pratere.*	*præterea.*
108.	8.	*parcis.*	*pactis.*
ibid.	29	*deducant.*	*diducant.*
109.	9.	*re;apse.*	*reapse.*
111.	24.	*Parecis.*	*Paræciam.*
ibid.	29.	*cupiam.*	*cuipiam.*
ibid.	33.	*locare.*	*locent.*
112.	19.	*titulus.*	*titulo.*
113.	29	*officiis.*	*officij.*
115.	32.	*monimum.*	*minimum.*
117.	28.	*p·imò.*	*primùm.*
119.	12.	*Ecclesia, quò.*	*Ecclesia, eiusquè cæmeterio, quò.*
120	10.	*deferat.*	*deferant.*
ibid	30.	*temeraritate.*	*temeritate.*
122	29	*apud nos, nostrorum.*	*apud nos, vel nostrorum.*
123.	16.	*d Deo.*	*à Deo.*
ibid.	28.	*legantor.*	*leguntor.*
ibid.	33.	*Quem.*	*Qui.*
124	12.	*69.*	*90.*
126.	4.	*iusiurandi.*	*iurisiurandi.*
ibid.	11.	*obsciuatarum.*	*obscauaturum.*
129	30.	*Gygnasium.*	*Gymnasium.*
131.	16.	*91.*	*71.*
135.	19	*cadaueta.*	*cadauera.*
136.	21.	*pecuniaq;*	*pecuniasque.*
139.	2.	*hæreditari.*	*hæreditario.*
ibid.	16.	*ad sint.*	*adsint.*
140.	19.	*fruguum.*	*frugum.*
ibid.	29.	*99.*	*71.*
147.	11.	*efferendis.*	*efferendo.*
149.	8.	*mandamus.*	*multandos mandamus.*
150.	3.	*apius.*	*sæpius.*
152.	19	*tyrocinio.*	*in tyrocinio.*

ibid.

ibid.	25.	*p:glicmus.*	*prædicimus.*
153	30.	*mooachijs.*	*monachijs.*
157.	26.	*ſpeſtet.*	*ſpectet.*
158.	1).	*ea iure.*	*ex iure.*
159.	9	*pertineat.*	*pertineant.*
162.	3.	*deq; ijs, quos cappellanos vocant, deq; ijs, qui parochorum vicem ſuſtinent.*	*deq; ijs, qui parochorum vicem ſuſtinent, quos cappellanos vocant.*
163.	21.	*&*	*ex.*
165.	13.	*reticebitur.*	*reticebitur.*
ibid.	21.	*imbecillitate.*	*imbecillitate.*
166.	3.	*proximo, qui.*	*proxima, quæ.*
ibid.	4.	*ſuperiori.*	*ſuperiore.*
ibid.	4.	*coactsu.*	*coacta.*

Θεῷ μόνῳ δόξα.

De festis diebus piè, & religiosè colendis.

Statiuas ferias, quæ festa immobilia vulgò dicuntur, quia publicæ sunt, & vel ex sanctæ parentis Ecclesiæ præcepto, vel nostro mandato, quæ imperatiuæ, siue indictiuæ dici possunt, sunt colendæ, vniuerso populo mandamus, nequis opere faciundo polluat, sed piè, ac religiosè colat. Quæ quia certo, statutoq; die obseruari debent, eodem hîc in fastis, seu calendarijs annotandas mandamus: hæ autem sunto.

Mense Ianuario.

Cal. 1. die   Circuncisio Domini.
8. Idus.   6. Epiphania Domini.

Mense Februario.

4. Nonas.   2. Purificatio B. Mariæ Virginis.
5. Kl. Mar. 25. Mathias Apostolus.   Vig.

Mense Martio.

8. Kl. Apr. 25. Annunciatio B. Mariæ Virginis.

Mense Maio.

Calendis.   1. Iacobus, & Philippus Apostoli.
5. Non.   3. Inuentio S. Crucis.

Mense Iunio.

8. Kl. Quinctiles 24. Nat. Ioan. Baptistę. Vig.

3.Kl.Quinctiles 29. Petrus, & Paulus Apost. vig.

Mense Quinctili, siue Iulio.

4. Idus. 12. Paullinus Episcopus.
8. Kl.Sextiles 25. Iacobus Apostolus. Vigilia.

Mense Sextili, seu Augusto.

4. Idus. 10. Laurentius Martyr. Vigilia.
18. Kl. Septem. 15. Assumptio B. M. Virg. Vig.
9. Kl. Sept. 24. Bartolomęus Apost. Vig.

Mense Septembri.

Klendis. 1. Regulus Episcopus.
6. Idus. 8. Natiuitas B. M. Virginis.
18. Kl.Oct. 14. Exaltatio Sanctæ Crucis.
11. Kl.Oct. 21. Matthæus Apostolus. Vig.
3. Kl.Oct. 29. Dedicatio S. Michaelis Archan.

Mense Octobri.

Prid. Non. 6. Dedicatio templi Cathedrarij.
5. Kl.Nou. 28. Simon, & Iudas Apostoli. Vig.

Merse Nouembri.

Klendis. 1. Omnes Sancti. Vigilia.

3. Idus. 11. Martinus Episcopus.
13. Kl. Dec. 19. Fridianus Episcopus.
Pr. Kl. Dec. 30. Andreas Apostolus. Vig.

Mense Decembri.

6. Idus. 8. Conceptio B. Mariæ Virginis.
12. Kl. Ian. 21. Thomas Apostolus.
8. Kl. Ian. 25. Natiuitas Domini Nostri.
7. Kl. Ian. 26. Stephanus Protomartyr.
6. Kl. Ian. 27. Ioannes Apostolus.
5. Kl. Ian. 28. Innocentes martyres.
Pr. Kl. Ian. 31. Syluester Pontifex Maximus.

Hæ sunt, igitur, statiuæ feriæ. Conceptiuæ verò sunt, quæ festa mobilia vulgò appellantur: quas vnicuique etiam obseruandas, pieque, ac religiosè colendas mandamus, quemadmodum sancta parens Ecclesia mandat, atque adeo præcipit. Hæ autem, quia neque in fixum, certumue diem cadunt, quòd vniuscuiusq; anni Indictionum ratio est habenda, nullo in fastis die annotari possunt: sunt autem,

Pascha cum duobus, qui proxime insequuntur, diebus.
Translatio Imaginis B. Mariæ Virginis, quæ à miraculis editis cognominatur.
Ascensio Domini.
Pentecostes cum duobus, qui proxime insequuntur, diebus.

So-

Solemnitas sacrosancti Corporis Christi.
Cæteri omnes Dominici dies.

Mandamus præterea, vt vbique nostræ Diœcesis eadem religione, ac pietate illius diui feriæ colantur, atque obseruentur, in cuius tutela, ac præsidio oppidum, aut Pagus maiores esse voluerunt, quemadmodū etiam dies anniuersarius, quo templū eidem dedicatum fuit. Priuatis porrò ferijs, quas vnaquæque familia ex domestico pio vsu, vel singuli ex sua quisque pio, ac religioso animi studio colere consueuerunt, pius, item ac religiosus cultus adhibendus erit: maximè verò, si eiusmodi feriæ sint votiuæ.